


Biblioteka Jagiellońska.



V. C. 64.

181
181


CONVENSUS LIBRARIUM
MAGNIFICENTISSIMO



III

Bandini. 750.

132. III. 47.



Constitutiones Synodi a Martino habita p 191
seorsim prodire hoc titulo: Breves dioce-
ne Synodi Vratislaviensis Constitutiones
M D LXXX. in fine Nisae Silesorum
excudebat Johannes Cruiger in 4^{to}

Constitutiones Synodales Episcoporum
Vratislaviensium prodire jam Vratisla-
vie an 1574 in 4, que forsitan prima
pars sint horum statutorum Martini usque
ad pag 133. que respicere videtur pro-
fatio Martini.

CATHEDRALIS
ECCLESIAE WRATISLAVIEN. STATUTA SYNO-
 DALIA ANTIQVA.

ITEM.

*ACTA ET CONSTITVTIONES SYNODI
 Diœcesanae, Annõ Domini Millesimo quingentesimo
 Octogesimo: Mense Septembri: VVratislavia
 habita & celebrata.*

STVDIO ET OPERA

REVERENDISSIMI IN CHRISTO
 Patris, Domini MARTINI, DEI Gratia
 Episcopi VVratislaviensis, Supremi per vtramq̃
 Silesiam Cæsarei Capitanei: reuisa, &
 ad communem CLERI vtilitatem,
 in vnum hoc volumen
 redacta.

*Accesserunt VENERABILIS CAPITVLI
 VVratislaviensis. voluntate & decreto:*

DDD. IMPPP. Frederici II. Caroli III.
 & Sigismundi, sacratissimæ de immunita-
 tibus Clericorum leges & constitutiones:

necnon BONIFACII PP. Executorium,
 quo eorundem IMPP. leges
 confirmantur.



VRATISLAVIÆ.

ANNO DOMINI:

M. D. LXXXV.

ARTINVS
DEI GRA
TIA EPIS CO
EVS VRATI
SLAVIENSIS



Venerabilis Dilectissimi huius Clero Sacerdotum
in Domino Consuevit gratia postea
ritas, maiestatis ac paternitatis honoribus
signis acq. insignibus, omni venerationis
studio colere, acq. obtinere. Et quare
quam iudeis solimmedo imagines inter-

Cem. Qu. 5099

BIBLIOTECA



JACELLONICA

dum extant
pulcherrime
habentur
centum
egregie
inter
ratione
cellum

D. L. X. V.



MARTINVS
DEI GRA-
TIA EPISCO-
PVS VVRATI-
SLAVIENSIS.

Vniuerso Dicecesis huius Clero Salutem
in DOMINO. Consuevit grata poste-
ritas, maiorum ac parentum suorum
signa atq; historias, omni venerationis
studio colere, atq; obseruare. Et quan-
quam rudes solummodò imagines inter-
dum extent, eæ tamen non minus quàm
pulcherrimæ & artificiosæ, in magno
habentur precio, vt charissimorum pa-
rentum memoria, virtutis labores, &
egregiè facta, vel hisce etiam rebus ab
interitu conseruentur.

Non dissimili

ratione, nos, omnes Dominorum Ante-
cessorum

* ij

cessorum nostrorum VVratislauiensium
EPISCOPORVM Synodales consti-
tutiones, quibus illi sancti patres, velut
fidelissimi ouium pastores, Clerum offi-
cij, ac vitæ suæ admonuerunt, diligenter
colligere, à mendis repurgare, & nouis in
publicum typis edere constituimus, tum
vt singularem erga Dominos Antecessores
nostros obseruantiam, amorem, ac stu-
dium demonstraremus, tum vt sanctam
eorum memoriam veluti ex tenebris in
lucem reuocaremus: In primis verò vt
Parochorum Diœcesis nostræ consulere-
mus simplicitati, qui dum magnis sese
voluminibus onerari nolunt, exiguo ta-
men hoc libello muneris sui rationem
breuiter descriptam haberent, & quid
fieri oporteret, velut in speculo contem-
plari possent: ac simul viderent, nihil
nouï aut alienum ab hac Diœcesi, in
nostris


nostris quoq; constitutionibus repertum esse. Quas quidem maiori aliquo apparatu & copia conscribere non prætermissemus, nisi S. Sedes Apostolica, indulgentissima & vigilantissima ouilis Christi mater, Sacrosancti Concilij Tridentini decretis, & reformationibus, omnia amplissimè ita fanciuisset, vt is qui aliquid addere conetur, omnia potiùs obscurare, quàm lucis aut utilitatis quicquam afferre videatur. Quia etiam operæ precium fore multi censuerunt, hisce & nostris, & Antecessorum nostrorum constitutionibus, literas instituto huic accommodatas, quæ ante proximum Prouinciale Concilium Petricouiese vltro citroq; missæ sunt: item alia, quæ Synodum nostram Diocesanam, vel præcesserunt, vel in ipsa Synodo gesta, vel post secuta sunt, vno libello coniungi, hac quoq; in parte acquieui-

mus, & ea omnia fideliter ex authenticis
describi literis, & simul imprimi curavi-
mus. Itaq; beneuolè desideramus, vt
has Constitutiones ij omnes, qui DEO,
& Sacris vitam suam consecrarunt, non
literis aut chartis solummodò secum cir-
cumferant, quin potiùs re ipsa eos se esse
demonstrent, à quibus populus, vera pie-
tatis & virtutum exempla desumere, eaq;
imitari possit: sicuti omnes quicunq; vllam
vel Reipublicæ Christianæ, vel dignitatis
Ecclesiasticæ, vel propriæ salutis, & fun-
ctionis suæ, honestatisq; rationem haben-
dam esse censent, omni cum studio factu-
ros, minimè dubitamus. Datum ex Ci-
uitate nostra Nissenfi: VI. die Februarij.
Anno Domini: M. D. Lxxxv.

... et ea omnia fideliter exarchiepiscopus
describitur et in...
... M. E. W.
... omnes, qui DEO,
... non
... circ
... de esse
... vera pie-
... cap;
... vltima
... dignitas
... fun-
... haben-
... factu-
... Ci-
... die rebrantj.
... Anno Domini: 1577.



M. E. W.




CONSTITUTIONES
SYNODALES †
DN. IOHANNIS III. †
EPISCOPI VVRATI-
SLAVIENSIS.



REVERENDISSIMVS IN CHRISTO PATER
 & dominus, Dn. IOHANNES quartus, Episcopus
 VVratislauieñ. binas duntaxat Synodos celebravit:
 causæ & difficultates in literis expressæ obstiterunt.
 Primam, Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo-
 sexto, post octauas Corporis Christi: vbi querelæ Ecclesiasticorum
 tantum auditæ, & defectus examinati sunt. Alteram, M. CCCC.
 Lxxxvii. Die vigesima sexta Aprilis, & diebus sequentibus: in
 qua post multam plurimorum defectuum reformationem, per sua
 sequentia statuta condidit.

CONSTITVTIONES SYNODALES

REVERENDISSIMI
DOMINI IOHANNIS QVARTI,
 Episcopi VVratislauiensis, conditæ Anno
 Domini Millesimo quadringentesimo no-
 nagesimoseptimo: vltimis diebus Aprilis.



IOHANNES DEI
GRATIA EPISCOPVS
VV RATISLAVIEN. &c.

*Uniuersis & singulis, dominis Abbatibus,
Prepositis, Capitulis, Conuentibus, Presbyteris & Clericis, ciui-
tatis & diœcesis nostræ VVratislauien. Salutem in Domino.
Quoniam in hac Synodo, quam diuina fauente gratia, sancto-
rum Patrum instituto, sollemniter egimus, nonnulla nobis pro-
posita sunt, quæ partim ecclesiasticum, partim secularem statum,
& communem animarum salutem concernunt: nec tamen faci-
liter potuerunt sub hac temporis breuitate commodè expediri, ob
casuum grauitatem, qui meliorem rerum indaginem, delibera-
tionemq; requirunt. Animo concepimus Anno sequenti diebus
oportunis aliam iterum Synodum conuocare: Et in illa, Domino
concedente, de omnibus statuere & definire, quæ in presenti pro-
posita sunt, & ad Ecclesiæ statum, tam in temporalibus quàm
in spiritualibus pertinere videntur. Ne verò sine omni fructu
presentem Synodum soluisse videamur: In primis repetimus &
innouamus omnia, tam Prouincialia quàm Synodalia statuta
Prædecessorum nostrorum: quondam CONRADI, PETRI,
RVDOLPHI, Episcoporum VVratislauien. in ea maxima parte,
quæ Ecclesiasticam immunitatem & clericorum honestatem con-
cernunt. Volentes, atq; hoc Synodali decreto mandantes, ea
omnia firmiter obseruari: sub Synodali pœna, & arbitrio nostro,
secundum qualitatem negligentiarum vel excessuum infligendis
grauioribus pœnis. Quibus adiçimus statuendum:*

Obserua-

Obferuatio in officijs diuinis.

Quòd omnes Presbyteri noſtra diœceſis ſeculares, in diuinis laudabiliter peragendis officijs & publicè officiandis in eccleſijs, ſe moribus & ſignis conſuetis mutuo conforment: nec ſingulares ſibi geſtus aut ceremonias in eiſdem officijs, & præſertim Miſſarum, quæ à communi uſu diſcrepant, aſſumant; in genuflexionibus, vel tuſionibus, aut alijs corporalibus moribus, qui leuitatem, vel hypocrifiſin ſapere, & circumſtantes ſcandalizare poſſent. Per quòd nolumus Religioſis in conſuetis ſuorum ordinum ceremonijs & ritibus, aut alicui præſbyterorum in cordis deuotione, & priuatis uniuſcujuſq; lectionibus, meditationibus, contemplationibus, orationibus, & ſanctis conſuetudinibus, legem impoſuiſſe.

¶ Item: ut nihil in ſacris Eccleſiæ officijs admittatur, in quibus maximè ſalutis humane myſterium Chriſti corpus & ſanguis pro omnibus uiuis & defunctis offertur, quòd oculos diuinæ Maiſtatis offendere, vel homines ad cogitationes illicitas trahere poſſet: ſed omnia cum ſumma reuerentia & decoro fiant.

¶ Statuimus & mandamus: Quòd præſbyteri omnes & ſinguli conuenientem uniuſcujuſq; dignitati habitum gerant: neq; longitudine neq; breuitate, aut colorum uarietate reprehendibilem: qui præſertim colla & crura tegat, ne in diuinis peragendis illorum nuditas officiantem inhoneſtet, & circumſtantes ſcandalizet. Ac propterea celebraturi Miſſam, caligati ſint, aut calceis altis, ſiue botis eiufmodi crura tegentibus: ſub pœna unius talenti cera, vel alia arbitraria, toties quoties contraueniſſe conſtiterit, per inſpiritualibus Vicarium noſtrum irremiſſibiliter exigenda & infligenda.

Festa SS. Petri & Pauli Apostolorum, & Agnetis.

¶ Item: Statuimus, quòd festa sanctorum Petri & Pauli Apostolorum sub toto triplici: & beata Agnetis virg: & mar: qua inter ceteras specialiter ab Ecclesia eò honorabilior existit, quòd in Canone Missæ locum obtinuit: & octaua festi sui per omnes Ecclesias agitur, sub duplici officio in nostra diœcesis Ecclesijs obseruentur. Populus tamen laicalis per hoc, ipsa die sanctæ Agnetis à suis laboribus non retrahatur, sed in suis localibus consuetudinibus relinquatur.

De audiendis confessionibus.

¶ Item: facultatem in audiendis confessionibus, iniungendis penitentijs, & absolutionibus impendendis: iuxta & secundum formam quondam domini RVDOLPHI editam, & in libello statutorum suorum Synodaliū annotatam: & per nos in principio nostræ ad hanc ecclesiam Vratislauen. translationis approbatam & in nouatam, hac Synodali constitutione iterum repetimus. Volentes, ut omnes, tam Religiosi, qui ad officium audiendarum confessionum assumpti fuerint, quàm parochiales, ac alij, quibus competit, presbyteri, illam præ oculis habeant, obseruent: nec contra faciant. Alioquin omni huiusmodi facultate priuati existant, nec se de audiendis confessionibus aut absolutionibus intromittant: donec & quousq; aliter duxerimus statuendum.

Declaratio super sententia excommunicationis, literis Monitionum inserta.

¶ Super

Super verò consultatione plurimorum: de illis, qui moniti infra certum terminum satisfacere de redditibus Ecclesiasticis, aut alijs quibuscungq; rebus, cum clausula in monitorijs, iuxta stylum nostri consistorij consueta ista; Alioquin ex tunc huiusmodi monitionis termino evoluta, ac aliàs iustitia exigente: ipsum, ipsam, vel ipsos excommunicamus Dei nomine, in his scriptis. Quos sic excommunicatos singulis dominicis diebus publicetis & denunciatis, &c. parere debent. An mox lapsa termino huiusmodi pro excommunicatis haberi debeant? An verò declaratio alia, vel denunciatio sit expectanda?

Pro informatione simplicium, & purificatione conscientiarum timoratarum, ita duximus declarandum: Quòd monitione huiusmodi, siue in faciem monendi, siue publico edicto per executores facta, totus terminus monitionis sub silentio expectandus est. Et si post lapsum terminum talis, is ad cuius instantiam monitio decreta est, tacet: nec ultra executores, vel alium sollicitat, presumendum est monitum paruisse, aut aliàs satisfecisse. Quoniam pro quolibet, quòd sit bonus & obediens iudici presumitur, donec constiterit de contrario. Si verò ille qui moneri fecit, cum executione venerit, post completum terminum monitionis, & non esse paritum aliquo modo conqueritur: Monitus pro excommunicato est habendus & denunciandus, quia id habet processus siue mandatum iudicis, quod continet in se latam in scriptis sententiam & denunciationem mandati. Potest ergo quilibet, qui ad sui fauorem monitionem obtinet, prorogare propria sua voluntate terminum solutionis, & in toto à monitorio recedere, anteaquam transiit in effectum. Quando autem in effectum transiit, hoc est, prefixo termino totaliter lapsa iam nouiter excommunicatus est, & absolutione iudicis eget. Si quis vult, ut monitio sua termino prorogationis non obstante, vigorem habeat, & post terminum prorogatum monitus pro excom-

municato habendus sit, necesse est ut fiat iudicis auctoritate: quia non ex pacto aut voluntate aëtoris excommunicatio nascitur, sed ex sententia iudicis.

De sententia Excommunicationis.

S *Ad vitandam scandala & multa pericula, quæ venire solent conscientijs timoratis. Statuimus & ordinamus: Quod nemo deinceps à communionem alicuius in Sacramentorum administratione, vel perceptione, aut alijs quibuscung, diuinis, vel extra, prætèxtu cuiuscung, sententiæ aut censura Ecclesiastica, seu suspensione, aut prohibitione ab homine vel à iure, generaliter vel specialiter promulgata, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare: nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura, huiusmodi fuerint, in vel contra personam, Collegium, Vniuersitatem, Ecclesiam, aut locum certum, vel certam, à iudice publicata, vel denunciata, specialiter & expresse. Aut si aliquem ita notoria excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione calari, aut aliquo iuris suffragio excusari: Nam tunc solum à communionem illius abstinere volumus, iuxta canonicas sanctiones. Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, aut prohibitos in aliquo, non intendimus releuare, nec eis quomodolibet suffragari, &c.*


*Actum in Synodo,
ut supra.*

SYNODVS

S Y N O D V S

P E R

REVERENDISSIMUM
IN CHRISTO PATREM ET
Dominum, Dominum IOHANNEM
QVINTVM, Episcopum VVratista-
uiensem, celebrata.



ANNO DOMINI MILLESIMO QVINGEN-
 tesimo nono. Die vigesimaquarta Mensis Aprilis.
 Reuerendissimus in Christo pater & dominus, dominus
 IOHANNES QVINTVS, Episcopus VVrati-
 slauiens. præmissis citationibus solitis, vocatis ad hoc omnibus &
 singulis legitimè, qui de iure seu consuetudine fuerant euocandi,
 Synodum generalem dioecesanam celebravit, eo modo & ordine
 seruato, prout in Synodalibus actis Reuerendissimi olim domini
 RVDOLPHI Episcopi VVratistauiens. prædecessoris suæ R. P.
 declaratum est. Continuando eam per tres dies: In quarum
 prima die, inprimis sua R. P. coram clero eiusdem Synodi pro-
 motorem constituit, venerabilem eximium virum, dominum Mat-
 thiam Kolbe, sacræ Theologiæ doctorem, Archidiaconum Ecclesiæ
 maioris VVratistauiens. qui dominos Prælatos, Canonicos, & Cle-
 rum locauit, quemadmodum quisq; in Synodo dicti olim Reueren-
 dissimi domini RVDOLPHI Episcopi locum obtinuit. Item &
 Notarium Synodi, Dominicum Schleupner, Ecclesiæ Collegiatæ
 S. Egidij VVratistauiens. canonicum, & cancellariæ suæ R. P. scribam.
 Et deinde sua R. p. propria in persona solenniter cantauit Missam
 de sancto Spiritu: qua finita, & sua P. in loco seu Stallo suo stante,
 venerabilis & egregius vir, dominus Stanislaus Savver, Decretorum
 doctor, & præfata maioris Ecclesiæ VVratistauiens. Canonicus, post
 acceptam

acceptam à Reuerendissimo domino Episcopo benedictionem, doctum atq; elegantem ad clerum fecit sermonem. Quo finito, dominus Doctor Matthias Kolbe, promotor Synodi, absentium contumaciam accusauit. Et literas Constitutionum sacri Concilij Basiliën: in pergamento scriptas, saluas & integras, Bulla eiusdem Concilij plumbea, filo canapis appendente sigillatas, Dominico Schlepuner Notario exhibuit: Et inde DECRETVM de Concubinarijs legi iussit, Huius qui sequitur tenoris.

SACROSANCTA GENERALIS
SYNODVS BASILIEN:
 in Spiritu sancto legitime congregata,
 vniuersalem Ecclesiam re-
 præsentans.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.
 Quicumq; Clericus, cuiuscunq; Status, conditionis, religionis, dignitatis, etiamsi Pontificalis vel alterius præminentia existat, qui post huius constitutionis noticiam, quam habere præsumatur, per duos menses post publicationem eiusdem in Ecclesijs Cathedralibus, quam ipsi diæcesani omninò facere teneantur, postquam eadem constitutio ad eorum noticiam peruenerit: fuerit publicus concubinarium, à perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum, trium mensum spacio, sit ipso facto suspensus, quos suus superior in fabricam, vel aliam euidentem Ecclesiarum utilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur, conuertat. Nec non & huiusmodi concubinarium, ut primùm esse talem innotuerit, mox suus superior monere teneatur, ut infra breuissimum terminum concubinam dimittat: Quam si non dimiserit, vel dimissam, aut aliã publicè resumpserit, iubet hac

inbet hac sancta SYNODVS, vt ipsum suis omnibus beneficijs omninò priuet. Et nihilominus hi publici concubinarij, vsquequò cum eis per suos superiores, post ipsarum concubinarum dimissionem, manifestamq; vita emendationem, fuerit dispensatum, ad susceptionem quorumcumq; bonorum, dignitatum, beneficiorum vel officiorum sint inhabiles. Qui si post dispensationem reciduo vomitu ad huiusmodi concubinatum publicum redierint, sine spe alicuius dispensationis ad praedicta prorsus inhabiles existant. Quòd si hi, ad quos talium correctio pertinet, eos vt praedictum est punire neglexerint, eorum superiores, tam in ipsos de neglectu, tam in illos pro concubinato, modis omnibus digna punitione animaduertant. In Concilijs etiam Prouincialibus & Synodalibus, aduersus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per suspensionem a collatione beneficiorum, vel alia condigna pœna seueriter procedatur. Et si hi, quorum destitutio ad summum Pontificem spectat, per Concilia prouincialia, aut suos superiores, propter publicum concubinatum reperiantur priuatione digni, statim cum processu inquisitionis, ipsi summo Pontifici deferantur. Eadem diligentia & inquisitio in quibusdam Capitulis generalibus & prouincialibus, quo ad suos seruetur pœnis alijs, contra praedictos & alios non publicos concubenarios, statutis in suo robore permansuris. Publici autem intelligendi sunt, non solum ij, quorum concubinatus per sententiam, aut confessionem in iure factam, seu per rei euidentiam, qua nulla possit tergiversatione calari, notorius est; sed qui mulierem de incontinentia suspectam & infamatam tenet, & per suum superiorem admonitus, ipsam cum effectu non dimittit. Quia verò in quibusdam Regionibus nonnulli iurisdictionem Ecclesiasticam habentes, pecuniarios questus à concubinarijs percipere non erubescunt, patiendò eos in tali fœditate sordescere, sub pœna maledictionis aeternae praecipit: Ne deinceps sub pacto, compositione, aut spe alicuius

quæstus, talia quouismodo tollerent, aut dissimulent: Alioquin ultra præmissam negligentia pœnam, duplum eius, quod propterea acceperint, restituere ad pios vsus omninò teneantur & compellantur. Ipsas autem concubinas, seu mulieres suspectas, Prælati modis omnibus curent à suis subditis, etiam per brachij secularis auxilium, si opus fuerit, penitus arcere. Quinetiam ex tali concubinato procreatos filios apud patres suos cohabitare non permittant. Iubet insuper hæc sancta SYNODVS, vt etiam in prædictis Synodis & Capitulis, hæc constitutio publicetur, & quilibet suos subditos ad ipsarum concubinarum dimissionem moneat diligenter: Iniungat præterea omnibus secularibus viris, etiamsi Regali præfulgeant dignitate, ne vllum qualecunq; inferant impedimentum quocunq; quaesito colore Prælati, qui ratione officij sui aduersus suos subditos pro huiusmodi concubinato procedunt. Et cum omne fornicationis crimen Lege diuina prohibitum sit, & sub peccati mortalis pœna necessariò euitandum, monet omnes Laicos, tam vxoratos quàm solutos, vt similiter à concubinato abstineant. Nimis enim reprehensibilis est, qui vxorem habet & ad alienam mulierem accedit: Qui verò solutus est, si continere nolit (iuxta Apostoli consiliu) vxorem ducat. Pro huius autem diuini obseruatione præcepti, ij ad quos pertinet, tam salutaribus quàm monitis alijs canonicis remedijs omni studio laborent, &c.

C Deinde Reuerendissimus dominus Episcopus lectioni finem imponens, tunc præsentibus vniuersis, hora decimanona in aula Episcopali comparandum, & defectus quos haberent proponendum constituit. Hora itaq; XIX. in aula Episcopali quorundam Capitulorum nunciij, Item VVratislauiesi. & aliarum passim sedium VVratislauiensis diocesis Archipresbyteri complures, proposuerunt in scriptis articulos, quorum aliqui lecti sunt, quib. Reuerendissimus dominus Episcopus extempore respondit. Alios vero, qui sequentibus duobus diebus legebantur, dixit, se velle partim cum tempore reformare: Et vt plurimos huiusmodi defectus

Constitutio-

Constitutionibus melioribus reformari non posse, quàm à suis prædecessoribus dominis Episcopis VVratislauiens. accuratissimè constitutum existeret; sed negligentia Sacerdotum & Clericorum, quòd dicta Statuta legere non curarent, multi committerentur errores, statum & rem ipsam Ecclesiasticam dedecorantia, condidit igitur per totam istam Synodum, eadem vnanimiter approbante, Statuta subsequentiã.

SEQVNTVR

STATVTA ET ORDINATIONES PER PRÆFATVM Reuerendissimum in CHRISTO patrem & dominum, DN. IOHANNEM, Episcopum VVratislauiens. edita.



NOMINE DOMINI, AMEN.

NOS IOHANNES DEI GRATIA EPS VVRATISLAVIENSIS.

Uniuersis & singulis, dominis Abbatibus, Præpositis, Prælatiis, Canonicis, Domorum magistris, Prioribus, Archipresbyteris, cæterisque, Presbyteris & Clericis, in & per ciuitatem & diocesiã nostram VVratislauiens. ubilibet constitutis: Salutem in Domino sempiternam. Quamquam à Prædecessoribus

B ij nostris,

nostris, (felicitis record.) olim Dominis, CONRADO, PETRO, RVDOLPHO, ET IOHANNE, Episcopis Vratislaniensib. Synodalibus eorum Constitutionibus; ad statum honestatemq; Ecclesiasticam nostra diœcesis pertinentia, singula quæq; adeo prouidè ac solerter instituta & ordinata sint, ut penè singulis defectibus & grauaminibus, nobis in hac præsentì Synodo propositis, Statuta quædam eos reformantia respondeant: reperimus tamen ob Clericorum desidiam, qui memorata Statuta habere, legere, ac nosse non curarunt, in diœcesi nostra multum oberrari. Ideo innouando, repetendo, & approbando omnia & singula præfatorum Reuerendissimorum dominorum Episcoporum, prædecessorum nostrorum, statuta & ordinationes, in his præsertim quæ libertatem & immunitatem Ecclesiasticam, atq; personarum Ecclesiasticarum honestatem concernunt.

Quòd Sacerdotes habeant & legant Pro- uincialia & Synodalia statuta.

Statuimus, ordinamus, ac districtè præcipientes mandamus: Quòd quilibet Presbyter, & præsertim qui aliquam regit Ecclesiam nostra diœcesis, Prouincialia atq; præsentia nostra, nec non CONRADI, PETRI, RVDOLPHI, ET IOHANNIS, Episcoporum, Synodalia statuta, apud se & Ecclesiam suam permansura, emat, habeat, & diligenter perlegat; Et in Sacramentorum administratione, & in his quæ ad sacerdotalia officia, honestatemq; clericalem spectant, sese secundum ea gerat. In Ecclesia sua, prout & quantum in eisdem publicandum mandatur, publicet, denunciât, inuiolabiliter obseruet, ac seruari faciat, sub pœnis in eisdem Statutis contentis. Quia verò complures in nostra diœcesi presbyteros & clericos reperimus, qui ex desidia (etiãsi haberent) Statuta ipsa legere non curarent; ut scilicet & eiusmodi ad ea sciendum

sciendum trahantur & compellantur: Volumus & mandamus, quod omnes & singuli Archipresbyteri, quilibet in Archipresbyterali sua sede, in locum aliquem competentem, utpote in oppidum, vel villam, singulis Anni quatuor temporibus, omnes & singulos suae sedis presbyteros, Ecclesiarum rectores, conuocet, quos ad conuocationes huiusmodi veniendum praesenti nostra Synodali constitutione astringimus; demptis eorum paucis, qui interea domi pro absentibus Plebanis curam Sacramentorum administrandorum gerant: Ita tamen quod pro alia vice quidam alij ex ijs Plebanis, qui proxima conuocationi interfuerant, ad domi manendum deputentur, ut isti qui nuper domi relictij fuerant, deinde ad conuocationem veniant. Archipresbyteris vero districtè iniungimus, & in virtute sanctae obedientiae mandamus: ut tunc ante omnia, praesentibus & audientibus omnibus, Statuta praefatorum nostrorum antecessorum, atq; nostra, intelligibili voce vsq; in finem diligenter legi faciant, quatenus nullus eorum ignorantiam pretendere possit, sed omnia rectius & laudabilius ad diuinam laudem obseruentur. Deinde de ordinibus sacris singulorum ipsarum sedium presbyterorum, & praecipue peregrinorum non ex nostra diocesi existentium; ubi scilicet, & quomodo vnusquisq; ordinatus sit? qua autoritate Ecclesiam regat, an inuestituram vel commendam habeat? de vita, moribus, & defectibus eorundem: per omnia, sicut in praemis Dominorum EPISCOPORVM statutis Archipresbyteri sibi iniunctum esse reperient, fideliter & diligenter examinent, scrutentur, & prosequantur.

Inhibemus autem ne se aliquis absentet, aut de oppido, vel villa, & loco pro conuocatione deputato recedat, priusquam omnia praemissa obedienter expleta fuerint; & Archipresbyter eis omnib. & singulis licentiam ad propria remeandi conceaserit, sub poena Excommunicationis, & multa nostro arbitrio refer-

uata: nisi quis rationabilem causam haberet, propter quam ab Archipresbytero licentiam ad hoc obtinere mereretur.

De sententia Excommunicationis.

¶ Super consultatione verò & ad instantiam plurimorum Presbyterorum in hac Synodo congregatorum; Declaramus: quòd deinceps in nostra diœcesi nullus, siue Clericus, siue laicus fuerit, ab Excommunicationis sententijs absolui debeat, sine expreso partis alterius consensu, aut sufficienti cautione prout de iure. Et qui propter contumaciam non comparitionis, sententijs Excommunicationis innodati fuerint, ante omnia teneantur iuxta iuris communis sanctionem, & Consistorij nostri Vratislauen. obseruatam consuetudinem, ad refundendum parti obedienti expensas, quas parti illi, vel in iudicio coram iudice, in partis absentia cautionem de stando iuri suscipiente, reddere & ponere debent: nisi a parte aëtrice aliter consentum fuerit, quatenus rea pars absoluator.

De festo Sanctæ ANNAE.

¶ Item. Hac Synodo unanimiter approbante, statuimus: Quòd festum Sanctæ ANNAE, quod hætenus nouem lectionum in diœcesi nostra tentum est, deinceps perpetuis futuris temporibus, in omnibus & singulis, tam in nostra maiore Sancti IOHANNIS Vratislauen. quàm Collegiatis, ac alijs quibuscung, nostra diœcesis Ecclesijs, sub duplici officio obseruetur: ut sic maiore ipsius sanctæ Matris adiuti suffragio, tranquillioem Ecclesiæ statum, & vitam æternam consequamur. In quibus omnibus, ut ritè agantur, vestras & omnium quorum interest conscientias oneramus per presentes; quibus Sigillum nostrum maius appendi iussimus, in robur sempiternum.

Actum & datum Vratislavia, in Synodo celebrata die vigesima mensis Aprilis: Anno Domini

Millesimo quingentesimo nono.

ANNO



ANNO DOMINI MILLESIMO QVINGEN-
 tesimo vndecimo: Die vigesima octaua Mensis April.
 Reuerendissimus Pater, dominus IOHANNES
 Episcopus VVratislauieñ. præfatus, vniuerso suæ
 diœcesis Clero conuocato, in Ecclesia VVratislauieñ.
 subsequentes ordinationes & Decreta ex SYNODO prouinciali
 à nuncijs suæ R. P. sibi ad publicandum relata, publicè legi iussit:
 Et vt ab vniuersis in diœcesi sua obseruentur, & non ignoraren-
 tur, præmissis adijci voluit.

DECRETA

SACRAE SYNODI PROVINCIALIS IN PETER- KAVV: PRO FESTO S. MARTINI, Anno Domini Millesimo quingen- tesimo decimo.

Quantum Reuerendissimus in CHRISTO pater, dominus
 IOHANNES, Dei gratia sanctæ Ecclesiæ Gnezneñ. Archi-
 episcopus & Primas: vnà cum Reuerendissimis patribus, domino
 BERNHARDINO Archiepiscopo Leopolieñ. VINCENTIO
 VVladislauièñ. & IOHANNE Poznanièñ. Episcopis, Abbatibus &
 Capitulis ipsorum, ac nuncijs & procuratorib. Reuerendissimorum
 DNN. Cracouieñ. VVratislauièñ. Ploceñ. VVilneñ. & Medniceñ.
 multisq; alijs Prælati, tam Religiosis quàm secularibus, &
 Clero nostræ prouinciæ, in Spiritu sancto congregatis,
 inuocata Spiritus sancti gratia
 celebravit.

In primis



In primis Sacrosancta SYNODVS instituit festum Conceptionis beatissima & gloriosiss: DEI genitricis Virginis **MARIAE**, cum octaua; in tota prouincia **Gneznen.** sub officio domini Leonardii Nagaroli Prothonotarij Apostolici, sacra Theologiae doctoris, edito, & à Romano Pontifice approbato, de cetero fore celebrandum. A festo proximo Conceptionis eiusdem Virginis gloriosae, per annum incipiendum, & deinceps continuandum perpetuum: quod Officium apud Iohannem Haller impresorem, ciuem Cracouien. inuenietur.

¶ **Item:** festiuitatem sancti Francisci deinceps perpetuis temporibus celebrem esse, & à cunctis Christianis celebrari, ab omni seruili opere abstineri, & sub obseruantia & praecepto comprehendi, eadem SYNODVS decreuit & voluit.

¶ **Item.** Statuta prouincialia dudum diuinitus edita, ab omnibus eadem SYNODVS obseruanda decreuit & mandauit: adiiciens, quòd Episcopi aut Suffraganei, exigentes aliquid ultra procurationem expensarum à iure concessam, in consecrationibus, reconciliationibus, & benedictionibus: praeter pœnas iuris, pro arbitrio Archiepiscopi puniantur; in quo per Capitulum maioris Ecclesiae ausabitur, & in hoc eorum conscientia onerata sint.

¶ **Item:** Archidiaconi, & qui habent onus visitandi, si non fuerint vigiles circa visitationem, aut exigentes aliquid praeter procurationem à iure concessam; ultra pœnas iuris & Statutorum, arbitraria pœna per diœcesanum puniantur toties, quoties id fecerint: in quo conscientia diœcesanorum sint onerata.

¶ **Item:** Quòd circa Ecclesias Collegiatas aliqua praebendae deputentur, ad quas non nisi Iurisperiti eligantur, qui in officiales foraneos constituentur.

¶ **Item:**

¶ Item: Quòd non instituantur ad parochiales Ecclesias, nisi docti & de bonis moribus, & quòd ante institutionem examinarentur.

¶ Item: Vt venerabiles domini, Petrus Thomitzi Archidiaconus Cracouien. & Sigismundus Targovvitzki Custos Sandomiriensis, & Canonicus Cracouien. cum Reuerendissimo domino Episcopo Cracouien. Cancellario Vniuersitatis Cracouien. omnes defectus eiusdem Vniuersitatis, quo ad studium si qui sunt, reuideant.

¶ Item: Quòd ad regendas scholas Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium Ecclesiarum, docti & idonei viri deinceps eligantur & assumantur, nec per eosdem Rectores in scholis, nisi qui studijs intenderent, seruarentur. Non recipianturq; deinceps aliunde venientes, nisi cum literis testimonialibus de vita & moribus à Rectore vel Plebano dandis, ubi prius stetissent, quomodo illic se obseruassent.

¶ Item: Vt nullus ad aliquos ordines, etiam maiores recipiendos, admitteretur; nisi prius per literas testimoniales Archipresbyteri vel Decani ruralis, & duorum Plebanorum eiusdem Decanatus sub quo degit, doceat de vita, moribus & conuersatione suis bonis & honestis: circa quam institutionem vniuscuiusq; Plebani instituendi conscientia oneraretur, quòd non nisi bene idoneum promouerit.

¶ Item: Bullam Cæne Domini diebus solennibus, & præcipue Feria quinta magna, aliq; statuta atq; iura quæ mandantur nuncianda, populo publicent.

¶ Item: Quòd statutum prouinciale de fide instrumentorum, propter falsarios bene exequatur. Et ne falsarij sint, vnusquisq; in sua diocesi bene videat.

¶ Item: De non curantibus censuras Ecclesiasticas, & infordescentibus in eis, ac publicis blasphemijs, ne de malicia sua
C commodum

commodum tales reportent, diocesani bene provideant, eosdem secundum iura & Statuta punientes.

¶ Item: Nundina diebus Dominicis & festis non teneantur, prout in iure & Statutis cauetur: Idq; per omnes Ecclesias deinceps principaliter publicetur.

¶ Item: Heretici & Schismatici, & Tartari Turciq; per spirituales non seruentur in seruitio domestico circa se. Et ordinarius tales seruitores facultatem habeat accipiendi circa unumquemq; absq; contradictione, seruitio vili per eundem applicando.

¶ Item: Quod Pontificale Romanum in conferendis ordinibus & consecrationibus Episcoporum, & Virginum benedictionibus, officijsq; diuinis, & alijs, in tota prouincia obseruetur.

¶ Item: Vt Episcopi Roketas iuxta Statutum deferant.

¶ Item: Quod presbyteri conforment se in celebrationibus officiorum Rationali diuinorum: quod quilibet Curatus, & alij, ac statuta prouincialia, & Sacramentale habere debent.

¶ Item: Quod Misse alta & intelligibili voce legantur: prater secreta & Canonem maiorem & minorem.

¶ Item: Quod vniones Ecclesiarum parochialium, qua decreuerunt in prouentibus, per ordinarios fiant.

¶ Item: Quod contra adulteros & concubinarios publicos animaduertetur per ordinarios, Regiaq; Maiestati suggeratur: ne tales ad dignitates, aut ad officia publica promoveant.

¶ Item: De usurarijs Statutum prouinciale in genere obseruetur.

¶ Item: Vt Statutum, ne spirituales vestes seculares Ha-
sucas

Lucas cognominatas deferant, in proximè præterita Synodo provinciali factum obseruetur.

¶ *Item: Quòd bireta cornuta, ne de cætero deferantur per Clericos, nisi in via.*

¶ *Item: In conuiujs ad æquales sumendo ne obligarent se potatores, & pro salute alicuius ne biberent.*

¶ *Item: Sacerdotes tabernas ne visitent: de quo ordinationem Episcopi in suis locis faciant.*

¶ *Item: De matrimonijs contrahendis; vt provideatur, ne Plebani alienarum parochialium homines copulare audeant.*

¶ *Item: De vestibus sericeis ne de cætero portarentur, præter Thabin curialibus, & nuncijs Regis & Principum duntaxat permittitur, si voluerint illis vii.*

¶ *Et propter alia negotia, quæ non sunt determinata ex certis causis, & ex consensu vnanimi omnium eiusdem Synodi Peterkouiensis, cum potestate & auctoritate hinc ad feriam tertiam post festum Trium Regum proximè venturum prorogatur & continuatur: omnia & singula per eos, qui pro tunc erunt præsentés, definienda, declaranda, pariter & concludenda. &c.*

C ij CONSTI

CONSTITVTIONES
 DOMINI THOMAE
 VVRATISLAVIENSIS
 EPISCOPI.

NOS THOMAS DEI
 GRATIA VVRATI-
 SLAVIENSIS EPISCOPVS:

*Synodo in Ecclesia Cathedrali in castro
 Beati IOHANNIS Baptista, Anno Domini, Millesimo
 ducentesimo septuagesimo nono, presidentes: lucris animarum
 (sicut decet pastoralementem vigilantiam) totis viribus inhiantes,
 non tam noua cudentes quam vetera renouantes; Vniuersis
 personis Ecclesiasticis per nostram VVratislauen. diocesin con-
 stitutis districtè precipimus, vt in victu, gestu, & alijs cir-
 cumstantijs sui status, sic honestè se habeant & decenter, ne
 propter ipsos nomen Ecclesiasticum blasphemetur. Eisdem
 inprimis districtius inhiantes, ne de patrimonio Crucifixi ini-
 micos se faciant crucis Christi; sicut illi quorum Deus venter
 est, qui terrena sapiunt, non diuina; in conuiujs suis mode-
 stiam & mediocritatem obseruent, superfluitatem indebitam
 ressecantes, ebrietatem fomitem omnium vitiorum & nutri-
 mentum euitent. Precipimus etiam, vt Clerici continenter
 & castè viuere studeant, quatenus puro corde & mundo cor-
 pore Deo possint in officio Ecclesiastico ministrare. Si verò
 deprehensi fuerint detinere publicè concubinas; iuxta tenorem
 Constitutionis (bonæ memoriæ) domini Gvidonis Snaden.
 quondam*

quondam in partibus Polonia Apostolica sedis Legati, omni beneficio Ecclesiastico sint primati. Archidiaconos vero, qui huiusmodi concubenarios, si de ipsorum crimine eis constiterit euidenter in beneficijs suis tolerauerint: contra sententiam antedictam, extunc suspendimus à diuinis. Eisdem nihilominus sub eadem pœna firmiter iniungentes, ut Ecclesias quarum ad ipsos spectat uisitatio, infra tres menses, si commodè poterunt, uisitent: ne pretextu alicuius ignorantia se ualeant excusare. Et cum Ecclesias sibi subiectas eos contigerit uisitare, moderentur expensas, coerceant numerum comitum, prout in generali Concilio extitit definitum. Munera etiam penitus euitent: nec uisitationis officio non impenso, procurationem in uictualibus, aut aliquid procurationis nomine recipere presumant: horum si facere presumpserint, duplum eius quod receperint, Ecclesiæ, à qua id receptum fuerit, infra mensem restituere teneantur: alioquin predicti Archidiaconi duplum ipsum ultra predictum tempus restituere differentes, ab officio & beneficio, iuxta Constitutionem (felicitis recordationis) Domini GREGORII Papæ X. nouerint se suspensos; quousq; de duplo huiusmodi gratis Ecclesijs plenariam satisfactionem impendant, nulla in eis hoc dantium libertate, remissione seu gratia ualitura. Item: quia peccatis exigentibus, quorundam Laicorum in nostra diœcesi adeò iniquitas inoleuit, quod in rebus Ecclesiæ furtum reputatur sagacitas, rapina probitas, & uolentia fortitudo: Synodali iudicio statuimus ac etiam definimus, ut quicunq; nobiles uel ignobiles, cuiuscunq; conditionis existant, bona Ecclesiarum scienter detinent occupata, nisi infra instans festum Assumptionis beatæ Virginis eadem restituerint, & de damnis ac iniurijs satisfecerint competenter, extunc iuxta tenorem Constitutionis domini Gvidonis prefati, introitum Ecclesiæ sibi nouerint interdictum, nec ab Ecclesiarum Prælati sine rectoribus ad com-

munionem Dominici Corporis admittantur. Qui verò obsti-
 nata mente dum vixerit satisfacere non curauerit, nullus Cle-
 ricus secularis vel Regularis (secundum quod in eadem Consti-
 tutione continetur) sepultura eius interesse præsumat. Et
 quicumq; Laicus nobilis vel ignobilis, venditionem decimarum
 clam vel palam impedire præsumperit, quousq; dignè satis-
 fecerit, de tali commisso introitum Ecclesia nouerit sibi inter-
 dictum. Statuimus etiam & districtè præcipimus, vt omnes
 Sacerdotes, tam seculares quàm Regulares, inter alias circum-
 stantias diligenter requirant à consentibus sibi, si decimas non
 soluerint, vel violenter vel fraudulenter obtinuerint: nec ta-
 libus iniungatur pœnitentia, nisi decimas sic detentas ex in-
 tegro restituant, vel ei ad quem de iure pertinent, de prædictis
 decimis satisfaciant competenter. Qui verò decimas sic
 ablatas non restituerint ei, cui debent de iure restitui, nec in
 vita sua satisfacere curauerint, Ecclesiastica careant sepul-
 tura. Præcipimus etiam vniuersis & singulis Ecclesiarum
 rectoribus & Vicarijs, per nostram diœcesin constitutis, vt sin-
 gulis diebus dominicis & festis, à Calendis Iulij vsq; ad medium
 Augusti quolibet anno, pulsatis campanis, & extinctis can-
 delis, excommunicatos denuncient omnes occupatores & im-
 peditores, siue violentos, siue fraudulentos decimarum, & pro-
 hibentes decimas in villis suis deponi, & eos qui pro certa sum-
 ma pecunia decimas emerunt, & non soluerunt: quos bona me-
 morie dominus Fulco, quondam Archiepiscopus Gneznen.
 in Concilio provinciali, vnâ cum Suffraganeis suis excommuni-
 cavit, prout in eisdem Archiepiscopi constitutionibus est expres-
 sum. Et vt omnes, qui per nos, vel auctoritate constitutionis
 Legatorum, seu domini Fulconis Archiepiscopi sunt excom-
 municationis sententia innodati, excommunicatos publicè nun-
 ciant; sub pœna trium Marcarum argenti, sicut prædictus do-
 minus Fulco Archiepiscopus Gneznen. noscitur statuisse.


Item:

Item: præcipimus vniuersis Capellanis DVCVI sine Principum
 nostra diæcesis, sub pœna suspensionis officij; vt Decretales felici-
 cis record: Domini GREGORII Papa X. quarum tenorem
 presenti Constitutioni inserimus, ad minus sex vicibus in anno,
 videlicet in festo Resurrectionis Domini, Pentecostes, Assum-
 tionis beatæ Virginis, sancti Michaelis, Omnium Sanctorum,
 & Natalis Domini: coram prædictis Ducibus publicè in Ecclesia
 recitent post Euangelium, in vulgari fideliter & diligenter ex-
 ponant. Quarum Decretalium tenor talis est. Absolutionis be-
 neficium ab Excommunicationis sententia, vel quancung, reuo-
 cationem ipsius, aut suspensionis, seu etiam interdicti, per vim
 vel metum extorta, presentis Constitutionis auctoritate omninò
 viribus vacuamus. Ne autem sine vindicta violentiæ crescat
 audacia, eos qui absolutionem seu reuocationem huiusmodi vi
 vel metu extorserint, Excommunicationis sententiæ decernimus
 subiacere. Alia Decretalis: Quicung, pro eo, quod in Reges,
 Principes, Barones, nobiles, balinos, vel quoslibet ministros
 eorum, aut quoscung, alios; excommunicationis, suspensionis seu
 interdicti sententiæ fuerit promulgata, licentiam alium dederint
 occidendi, capiendi, seu aliàs in personis, seu bonis suis vel suorum
 grauandi: eos qui tales sententiæ protulerint, siue quorum sunt
 occasione prolata, vel easdem sententiæ obseruantes, seu taliter
 excommunicatis communicare volentes; nisi licentiam ipsam re-
 integra reuocauerint, vel si ad bonorum captionem occasione
 ipsius licentiæ sit processum: nisi bona ipsa fuerint infra octo die-
 rum spacium restituta, aut satisfactio pro ipsis impensa; eo ipso
 Excommunicationis sententiæ incurrant. Eadem quoq, sint
 sententiæ innodati, omnes qui ausi fuerint prædicta licentia da-
 ta uti, vel aliquid præmissorum ad quæ committenda licentiam
 dari prohibuimus, aliàs committere suo motu: Qui autem in
 eadem sententiæ permanserint, duorum mensium spacio, ex tunc
 ab ea non possint, nisi per sedem Apostolicam absolutionis bene-
 ficium obtinere.

¶ Præcipimus

S Præcipimus autem vniuersis Rectoribus Ecclesiarum & Capellanis, nostræ diœcesis, eisdem in virtute obedientiæ, & sub pœna vnius Marcæ argenti firmiter iniungendo, quatenus copiam Constitutionis præcedentis recipiant infra mensem: Et eam Constitutionem in scriptis redactam in Ecclesijs suis iuxta Altare in tabula lignea affigant, vna cum Constitutionibus (bonæ memoriæ) domini Fulconis Archiepiscopi.

ALIAE CONSTITVTIONES
DOMINI THOMAE
VVRATISLAVIEN.
EPISCOPI:



Anno Domini Millesimo ducentesimo nonagesimo: Secundo Calend: Septemb.

Præsidentibus nobis Synodo Diœcesanæ
 in choro nostræ Ecclesiæ Cathedralis, Clero nostro de tota terra diœcesis ad ipsam Synodum conuocato, præsens Constitutio est solenniter promulgata, præsentibus & expressum consensum præbentibus his nostris Fratribus: Illustri Principe, Domino Conrado, Duce Silesia, & Domino de Sagano, Præposito nostro: Et dominis, Mileio Decano; Iohanne Cantore; Nicolao Custode; Iohanne Decano; & Magistro Vito Archidiacono Glogouienſi; Henrico Lignicensi; & Iohanne Lanaysen. Archidiacono; & Petro Præposito; & Magistro Iacobo Scholastico sanctæ Crucis; Stephano,

Stephano, Arnoldo, Petro, Martino, Magistro Mirizlao, presbyteris: Nicolao de Cosnov; Petro Cancellario nostro; Martino Ianusio; Henrico Simonis Valkone; Senuario Iohanne; Henrico procuratore, & Henrico de Virbena: Canonicis Ecclesie nostrae Cathedralis.

Volumus autem & mandamus vniuersis & singulis, Archipresbyteris, & ceteris Ecclesiarum Reſtoribus nostrae diocesis constitutis, sub poena suspensionis ab ingressu Ecclesiae, qua extunc incurrunt contemptores vsq; ad octauam beati Michaelis; has nostras salubres Constitutiones conscriptas habeant in Ecclesijs suis easdem parietibus affigentes: In cuius facti euidentiā, Constitutiones praesentes Sigillis, nostro & nostri Capituli, fecimus consignari. Praecipimus quod Sacerdotes maiora in confessione maioribus reseruantes, mittant ad Episcopum poenitentes homicidas, facto, opere, consilio, vel auxilio: blasphemos Omnipotentis, & beatae Mariae, & Sanctorum: Iniectores manuum in parentes, siue in Clericos, vel quoscunq; Religiosos, Incendiarios; Simoniacos; literarum falsarios; incestuosos, Detestabile peccatum contra naturam committentes cum brutis animalibus: Concubitores monialium; Ecclesiarum & Caemiteriorum effractores & violatores: Schismaticos & sacrilegos, & diuinatores, & eos qui ad eos accedunt: Qui de Sacramentis aliqua commiserunt maleficia, vel auxilium praestiterunt; qui abortiuum procurauerint: Qui non permiserit Baptizare, qui interfuerunt scienter: Qui sine prima tonsura aliquem ordinem suscepit: Qui contra iustitiam vel conscientiam, auctoritatem, consilium siue auxilium in aliquo impendunt; unde mors hominis vel membrorum mutilatio est secuta: vel qui huiusmodi scienter occasionem sine causa dederunt. Qui literas dictat, scribit, legit, vel aliquod adminiculum praestiterit; vt aliquis mutiletur.

D

¶ Item:

¶ Item: Clericos, qui suspensi sunt vel excommunicati, promoti, aut celebraverunt diuina. ¶ Item: Sacerdotes seu ministros, quorum negligentia aliquid circa Sacramenta Altaris inhonestum quocungq; modo euenit. Quibus omnibus (praterquam illis, qui pro violenta manuum iniectioe in personas Ecclesiasticas in Canonem lata sententia inciderunt: quos Episcopi absolueri non possunt) per ipsos Episcopos de absolutionis beneficio prouideri potest. Episcopi autem dicere debent omnibus excommunicatis ex quibuscungq; causis: quòd nullo modo, absq; mortali peccato & irregularitatis vitio, possunt vel debent se ingerere diuinis; & publicè eis dicant, si est publicum peccatum eorum: & si occultum, occultè debent dicere confessoribus: quorum dispensatio ad solum summum Pontificem spectat; quòd nec in susceptis ministrare ordinibus, nec ad maiores, seu ad beneficia curam animarum habentia, possunt promoueri, absq; dispensatione Domini Papæ. ¶ Caueant autem Episcopi, quòd nullum excommunicatum pro violenta manuum iniectioe in personas Ecclesiasticas, nec ab alijs excommunicationibus à Canone, siue ab alijs iudicibus latas, absolueri nullatenus; nisi de mandato vel auctoritate Apostolica Sedis, vel Cardinalium cura commissis dispensare, presumant.

DECLA-

DECLARATIO SACRILEGORVM,
 QVI
 In IOHANNEM Tertium Episco-
 pum VVratislauien. & eius Canonicos
 manus iniecerunt violentas.

IOHANNES MISE-
 RATIONE DIVINA
 VVRATISLAVIEN.
 EPISCOPVS.


*Dilectis in Christo fidelibus, Dominis
 Abbatibus, Prepositis, Prioribus, ceterisque Ecclesiarum Re-
 ctoribus, seu Plebanis, per suam diocesin constitutis; Salutem
 in Domino sempiternam. Quia sicut vobis omnibus (ut cre-
 dimus) incognitum non existit; malefactores quidam diabolo
 instigantibus, procedentibus nobis nuper de Nissa versus Treb-
 nitum, ad petitionem dominae Abbatisse, & Conuentus loci eius-
 dem, ut in die beati Bartholomaei Apostoli missarum solennia
 celebraremus, ibidem nonnullos Praelatos, Canonicos, & Capel-
 lanos nostros, qui nobiscum erant in via, & quasi totam no-
 stram familiam, equis, vestibus, & rebus alijs spoliauerunt:
 Imò etiam in personam nostram, non parcendo dignitati Epi-
 scopali & honori Clericali, tanquam filij degeneres in parentem,
 & in filios matris suae Ecclesiae, videlicet sanctae DEI, non sunt
 veriti manus iniicere violentas, vulnus corpori nostro vsq;
 ad effusionem sanguinis infligendo: Vniuersitatem vestram
 rogamus, hortamur, & nihilominus in virtute sanctae obedi-
 entiae vobis praecipimus; quatenus dictos malefactores, cum*

D ij excommunicati

excommunicati sint à Canone ipso facto, & eos qui ad hoc man-
 datum prabuerunt, consilium, auxilium & fauorem: nec non
 qui terram Nissensem & Othmachauien. quos dudum Prade-
 cessor noster (bone memoria) Dominus THOMAS quondam
 Episcopus VVratislauien. excommunicationis sententia inno-
 dauit, & excommunicatos mandauit publicè denunciari; va-
 starunt & vastant spolijs, incendijs & rapinis: & eos qui liber-
 tatem Ecclesie datam, maxime qua per Illustrem Principem
 (bone memoria) Dominum HENRICVM, quondam Ducem
 Silesie, Dominum VVratislauia, Cracouie & Sandomiria; pro
 magnis damnis per ipsum Ecclesie illatis, data restituit ipsi Ec-
 clesie & concessa, totiq; Clero Religioso & seculari, violant &
 infringunt, quos nos excommunicamus in his scriptis. In Ec-
 clesijs vestris singulis diebus Dominicis & festiuis, pulsatis cam-
 panis, candelis extinctis, excommunicatos publicè denunciatis.
 Sepultura Ecclesiastica eis specialiter sit interdicta, donec re-
 deuntes ad cor, sancte matri Ecclesie satisfactione premissa, per
 absolutionis gratiam reformentur: vt quos timor DEI à ma-
 lo non reuocat, saltem Ecclesiastica coërceat disciplina. Iniun-
 gimus sub pœna officij ac beneficij, ac synodali; vt quilibet
 vestrum ad Ecclesiam suam pro memoria harum senten-
 tiarum transcriptum reportet. Datum in Synodo
 VVratislauien. in die beate Cecilie: Anno
 Domini Millesimo ducentesimo
 nonagesimo.

CONSTI

CONSTITVTIONES
 DOMINI HENRICI
 VVRATISLAVIENSIS
 EPISCOPI.



*N*omine Domini, Amen.

Quoniam nonnulli tam Laici quàm Clerici
 nostra diœcesis, timorem Domini non habentes,
 dum pro aliqua causa legitima, vel eorum
 culpis exigentibus, per nos, vel per aliquos alios Iudices excom-
 municationis sententia innodantur: in Excommunicationis
 ipsius sententia, in propriæ salutis dispendium & honoris, inter-
 dum per plures annos tam contentibiliter quàm damnabiliter
 ausu diabolico perseverant. Igitur nos DEI gratia HEN-
 RICVS Episcopus VVratislaviensis, ad morbum curandum
 huiusmodi attendentes; quia ea vindicta iuxta sanctiones
 Canonicas, qua ad correctionem magis valet, magisq; timetur,
 ingeri debeat & infligi, cum Deum placando & recogno-
 scendo hoc solum bene agitur, ut vita hominum corrigatur;
 de consilio & consensu nostri VVratislaviensis Capituli, fratrum
 nostrorum, quorum nomina inferius annotantur, proinde duxi-
 mus statuendum: Vt quicumq; nostra diœcesis homo siue Laicus
 siue Clericus, qualis de cetero per annum in Excommunicatio-
 nis sententia, per quemcumq; iudicem Ecclesiasticum in ipsum
 ritè prolata, contumaciter presumpserit perdurare; Laici
 ipsius bona mobilia, qua in ipsa nostra diœcesi obtinet uniuersa,
 per Principes & potestates seculares, ad nostram tamen & Ec-
 clesia requisitionem debeant confiscari. Si autem Clericus ex-

D ij communi-

communicationis sententiam per annum sustinuerit animo pertinaci, fructibus beneficij vel beneficiorum suorum, quos in ipsa diœcesi nostra habet, per annum eundem, quo in sententia perstiterit, ipso facto irrecuperabiliter sit priuatus: quos tamen fructus beneficij vel beneficiorum si consumpserit forsitan illo anno; tunc sequentis anni redditibus omnino careat, quos pro ipsa fabrica Ecclesie nostrae decreuimus collocandos: Sola sustentatione duntaxat ipsi Clerico ad nostram, vel successoris nostri moderationem de ipsis redditibus siue fructibus reseruata atq; permissa. Præterea quia pleriq; Plebani & alij Ecclesiarum parochialium Rectores, processus siue mandata nostra, & nostrorum Officialium, seu Iudicum, aut negligenter exequuntur, aut exequi omnino differunt, in nostrum ac iurisdictionis nostrae haud modicum contemptum, ac dispendium eorum, quorum negotia aguntur, & licet contra tales per Constitutiones alias antè sit prouisum: Nos tamen non tam noua condentes quam vetera recensentes, de consensu nostri Capituli supradicti statuimus & mandamus; Vt omnes & singuli nostrae diœcesis Clerici, tam Religiosi quàm seculares, beneficia Ecclesiastica, vel prouentus alios Ecclesiasticos, in ipsa diœcesi nostra obtinentes, siue sint Pralati, siue Rectores Ecclesiarum, vel Vicarij, aut quouis alij Clerici constituti in Ecclesijs nostrae diœcesis; quibuscunq; quoties & quando, per nos, aut per alios iudices competentes, quibus obedire de iure teneantur, mandatum aliquod maximè literatoriè receperint exequendum; ipsum cum ea qua decet fidelitate & reuerentia exequantur. Non solum Sigilla non executo mandato, sicut pleriq; consueuerunt facere, literis apponendo; sed etiam omnia & singula sine subterfugio, qua per ipsas iniuncta fuerint literas, fideliter & efficaciter adimplendo. Quicunq; verò in hoc, aut per negligentiam

gligentiam vel contemptum repertus fuerit excessisse, sententiam suspensionis ab officio, à nullo, quàm à nobis, aut Officiali nostro Vratislauen. aut Vicario nostro generali, postquam satisfecerit, relaxandam; & pœnam nihilominus trium Marcarum vsualis argenti ipsum incurrere volumus ipso facto. Cuius quidem pœna seu pecuniæ dimidietas fabrica Cathedralis Ecclesiæ nostræ cedat: & alia dimidietas iudici, cuius mandatum contemptum fuerit seu neglectum.

¶ Precipimus itaq; Iudicibus vniuersis, sub pœna suspensionis ab officio firmiter iniungentes, vt prædictam pœnam à delinquentibus exigant; & eam sine nostra & successorum nostrorum licentia non relaxent. Caterum sunt nonnulli nostræ diœcesis Clerici, qui solum respicientes presentia, sed quod in futurum emineat nil pensantes, tantis debitis se onerant, quòd beneficiorum Ecclesiarumq; redditus quos habent, interdum non sufficiant ad debita soluendum: Sicq; contingit, vt successores eorum in eisdem beneficijs, indebito modo grauentur. Igitur nos volentes super eo salubriter prouidere, de consensu Fratrum nostrorum presenti Synodali statuto firmiter prohibemus; ne quisquam de cetero alicui Clerico diœcesis nostræ, cuiuscunq; conditionis seu status exigat, quicquam credere vel mutuare præsumat, ultra quàm beneficij, vel beneficiorum quæ obtinet valor fructuum extendat illorum quæ per mortem ipsi Clerico per annum debeant deservire. Quicunq; verò in contrarium fecerit, amplius credendo vel mutuando Clerico, illud perdat, & creditori contra suum successorem debitorum actio sit negata. Ne verò prætextu ignorantie in præmissis se valeant excusare; precipimus sub pœna suspensionis ab officio, & nihilominus Synodali, vt vnusquisq; Archidiaconus copiam presentium à Curia nostra recipiat, & eandem Archipresbyteris suis tradat; per ipsos postmodum
Archipres-

Archipresbyteros alijs Ecclesiarum Rectoribus sibi subditis, infra unum mensem à data presentium assignandam. Ita quòd quilibet Rector Ecclesiæ, seu Plebanus, Constitutiones easdem in Ecclesia sua habeat applicatas parieti & affixas. Pro facienda etiam copia eorundem, nullum precium penitus exigatur. Anno Domini Millesimo trecentesimo quinto: XIII. Calend: Decembris. Presentibus nobis, nostra diocesana Synodo, nostra Ecclesiæ Cathedralis Clero de tota diœcesi convocato, presens Constitutio est solemniter publicata: presentibus & expresse consentientibus his nostris Fratribus; Domino Magistro Iacobo Preposito; Domino Cantore Vito; Domino Vvalbone Scholastico; Arnolde Lignicensi, & Iohanne Oppoliensi, Archidiaconis; Nicolao Preposito sanctæ Crucis; Magistro Paulo; Henrico Albo; Nicolao Bambrægonis; Canonicis Ecclesiæ Vratislavian. & alijs multis.

Amen.

CONSTI-

CONSTITUTIONES
 DOMINI NANKERI
 EPISCOPI VVRATI-
 SLAVIENSIS.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

NANKERVS DIVINA
 ET APOSTOLICÆ SE-
 DIS PROVIDENTIA
 EPISCOPVS VVRA-
 TISLAVIEN.

*Ad perpetuam rei memoriam. Aua-
 ricia cecitas, & damnanda cupiditatis improbitas, ita quo-
 rundam animos occuparunt, ut abstinere nesciant à vetitis;
 nec debito modo gaudere concessis. Nonnulli siquidem Sacer-
 dotes & Ecclesiarum rectores VVratislavien. diœcesis, temeri-
 tate propria de relictis suis Ecclesijs, in quibus residere debe-
 rent, & curam rerum gerere per seipsos; temporalis lucri
 gratia, in alijs Ecclesijs Vicarios se constituunt & ministros,
 ut cum vix vnum officium adimplere sufficiant, stipendia sibi
 vendicent plurimorum. Sunt & alij quamplures Clerici, qui
 etsi propria beneficia Ecclesiastica non habeant, quodam tamen
 negotiationis genere vices & Ecclesias aliorum sub annuo
 censu contra Statuta Canonica recipiunt; sic quòd una persona
 taliter duas Ecclesias, & dua vel tres persona reperiantur*
 E inter dum

interdum unam Ecclesiam conduxisse. Quapropter animarum periculis & scandalis grauibus, quæ frequenter ex his tam nefandis abusibus proueniunt, opportunis remedijs obuiare volentes, non tam noua cudendo quam vetera recensendo; de Fratrum nostrorum consilio, vt damnabilis diuagandi & negociationis materia Clericis subtrahatur, districtius prohibemus: Ne de cætero aliquis maximè Parochialis Ecclesiæ Rector, se à beneficio suo absentare & alienare præsumat; nisi forte Ecclesiæ nostræ Canonicus Parochialem Ecclesiam habeat, quem præsertim apud maiorem Ecclesiam residentem in hac parte congruit excusari. Illis autem, qui se à suis Ecclesijs absq; nostra licentia absentarunt, in virtute sanctæ obedientiæ precipimus, vt infra sex menses à publicatione presentium computandos, ad ipsas suas Ecclesias, vt eisdem debita præsent obsequia, reuertantur; Alioquin infra annum extunc inchoandum eosdem absentes à perceptione prouentuum Ecclesiasticorum seu beneficiorum ipsorum, eo ipso volumus penitus fore suspensos: ad quos si infra illud tempus propria temeritate, vel alio quæsito colore se ingesserint, illi similiter cum Ecclesijs ipso iure perpetuò sint priuati.

Sane cum iuxta Canonicas sanctiones una Ecclesia vnius esse debeat Sacerdotis, presenti etiam prohibemus edicto, ne de cætero Sacerdos aliquis duas vel plures in nostra diocesi Ecclesias possideat, neq; duo vel plures Sacerdotes unam Ecclesiam (alicuius etiam à nobis abessendi licentiam obtinentis) conductionis titulo sibi querant, vel quæsitas obtinere præsumant. Alioquin quicumq; contrarium in hac parte reperti fuerint attentare, pecunias quas pro Ecclesijs huiusmodi conductores Ecclesiarum ipsarum locatoribus dederint, aut dare præsumpserint, prorsus amittant: illas enim extunc dandas ad nostræ fabricam Ecclesiæ deputamus; Mandantes, vt
 Archi-

Archidiaconi nostri, in quorum Archidiaconatibus Sacerdotes in his reperti fuerint excessisse, pecunias huiusmodi exigant, & recipiant, ac easdem procuratoribus Vratislauen. nostri Capituli representent, in vsus dictæ fabricæ fideliter conuertendos.

AD hæc quia pleriq; Ecclesiarum Rectores, Vicarij, ac alij Clerici, nostræ Vratislauen. ciuitatis & diæcesis, propria salutis immemores, & maximè fidelitatis & obedientiæ iuramenti, quod in sacrorum receptione ordinum præstiterunt obli- ti, maioribus & Prælatiis suis, ac alijs quorum iurisdictioni & imperio sunt subiecti, reuerentiam & obedientiam debitam, quam tenentur, exhibere contemnunt: In eo maximè, quòd cum eisdem Rectoribus, Vicarijs, vel alijs Clericis, aut aliquibus eorum per nostras, vel per nostri Vratislauen. Capituli literas, aut aliorum, qui iurisdictionem habere noscuntur, aliquid præcipitur exequendum, hoc nonnulli vel omninò respuunt exequi, vel tam negligenter ac tepidè exequuntur, quòd exinde nullus, vel modicus fructus aut utilitas subsequatur: Sed & alij pro quadam solum apparentia sigillis eorum signant quidem literas à iudicibus sibi missas, sed in executione mandatorum seu iniunctorum amplius non procedunt, umbram quandam ostendentes in opere, cum veritas non subeat in effectum. Ex qua re multipliciter, quòd cum dolore referimus, Ecclesiarum & Cleri, tam Religiosorum quàm secularium iura depereunt, peruersorum crescit audacia, & iudicialis auctoritas cum iustitia euanescit. Volentes igitur negligentiam & rebellionem illorum, quos ad bonum obedientiæ virtutum in præmia non inducunt, tam adiectarum exaggeratione pœnarum, quàm adijciendarum de nouo, formidine coërcere; De Fratrum nostrorum consilio statuimus: Ut quicunq; ciuitatis vel diæcesis Vratislauen. Clericus,

in superioris seu iudicis mandato sibi ad exequendum misso, negligens fuerit & remissus, trium Marcarum vsualis pecunie penam incurrat, soluendarum illi iudici, cuius mandatum quis repertus fuerit contempsit. Et ad interesse illi nihilominus teneantur, ad cuius instantiam mandatum huiusmodi emanasse constabit. ¶ Volumus autem, ut quoties in executione mandatorum iudicis alicuius contumax quis fuerit & rebellis, toties dictam penam nequaquam sibi relaxandam incurrat, grauius nihilominus punienda, prout proteruitas exigerit contumacis.

ALIAE CONSTITVTIONES
NANKERI EPI-
 SCOPI.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.



NANKERVS DEI
 GRATIA EPISCOPVS
 VVRATISLAVIENSIS.

Ad perpetuam rei memoriam. Horrendorum excessuum execrabilis, & multa presumptio modernis temporibus impunitatis licentia (peccatis exigentibus) sic excreuit, quod nec ordini Clericali parcitur, nec diuina Maiestati defertur. Ecce enim prout frequens dolorosa multorum nobis insinuatio demonstrauit, dum interdum de Clero nostro aliqui Sacerdotes vel Clerici seculares, siue etiam Religiosi, per

giosi, per nos, vel per nostrum Vratislauen. Capitulum, seu Officiale nostrum, aut alios qui iurisdictionem habere noscuntur, pro exequendis mandatis in negotijs Ecclesiasticis ad aliqua certa diœcesis nostræ loca mittuntur; Ciuitatum aut locorum huiusmodi Consules, ac alterius secularis gerentes officium potestatis, tanquam honoris & Ecclesiastica dignitatis inuidi, libertatem & immunitatem ac alia iura Ecclesiastica suffocare aut perimere moliuntur, Clericos siue Sacerdotes in executione sic missos, iniectis in ipsos manibus, saccos capiunt, & ablati ipsis literis quas portant, grauibus ipsos iniurijs afficiunt; & ne iniuncta sibi mandata præsumant exequi, diras minas & terrores ac perditionem rerum & corporis cruciatum eis incutere non verentur. Nos igitur tam nefandis ausibus, de Fratrum nostrorum consensu, remedijs quibus possumus occurrere cupientes, mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, firmiter iniungentes, vt in quacungq; ciuitate, villa, vel castro, vel alio loco nostræ diœcesis, aliquis Clericus vel Sacerdos in executione mandati Ecclesiastici iudicis captus, vel vulneratus, interfectus, aut aliter enormiter molestatus fuerit, iuxta tenorem Constitutionis bonæ memoriæ THOMÆ secundi, prædecessoris nostri; non solum in Ciuitate, vel in loco, vbi malum huiusmodi, seu molestiam ipsam Clerico illatam constiterit: sed in tota Sede Archipresbyterali loci illius, teneatur Ecclesiasticum interdictum, postquam de iniuria & molestia dicto executori illata, Reçtori Ecclesiæ seu loci illius Archipresbytero fuerit intimatum, & patratores præsumptionis eiusdem, in omnibus Ecclesijs Sedis eiusdem, per Ecclesiarum Reçtores excommunicati ipso factò damnoso publicè nuncientur singulis diebus Dominicis & festiuis; tamdiu, donec iniuriam passò & Ecclesiæ per eosdem sufficienter fuerit satisfactum. Adijcimus insuper: si Clericus seu Sacerdos in executione prædicta, captus & vulneratus, aut aliter laesus grauitè, vel, quod absit, occisus fuerit; Statuimus, nisi

lato & Ecclesie infra mensem extunc proximè subsequenter, de
offensa huiusmodi sufficienter & plenè fuerit satisfactum, si
quos dicti malefici patratores filios habuerint, vel Nepotes, his
& omnibus ex sexu Virili descendentes, ab iisdem vsq; ad ter-
tiam generationem, Clericalis ordinis, & officij & beneficij Ec-
clesiastici simulq; dignitatis, in tota nostra Diœcesi ianua sit
præclusa.

S **N** **A** **N** **K** **E** **R** **U** **S**, &c. Licet sacro-
sanctæ Romanæ Ecclesie matris omnium fidelium & Magistra,
Sanctorumq; patrum prouidentia circumspecta, quæ actibus
intenta salubribus, & operibus exposita pietatis, libenter &
solerter exequitur, quæ sunt **D E I**, sollicita & digna considera-
tione ad diuini muneris honorem, exaltationem Catholica fidei,
& salutem fidelium, ac quietem, diebus Dominicis & alijs præ-
cipuis festiuitatibus, ab omni opere illicito & seruili statuerit
abstinendum, & in illis cum ueneratione debita diuinis obsequijs
insistendum: Nonnulli tamen nostra diœcesis, salutis suæ im-
memores, quod dolentes scribimus, tam salubre statutum
huiusmodi, seu præceptum, præsumptione diabolica transgredi
non verentes, celebritatem in ipsis diebus Dominicis, & qui-
busdam festiuitatibus alijs violare damnabiliter, simul in unum
diuites & pauperes non formidant; neglectis enim diuinis obse-
quijs, pro faciendo mercimonio alij forum visitant, lucris so-
lum temporalibus inhiantes, sed & alij ceteris varijs & diuersis
operibus illicitè tunc incumbunt, quibus peccatis exigentibus
non immeritò diuina magnificentia Maiestatis offenditur, &
ad flagella iracundiæ, si sane perpenditur, prouocata, mundum
in præsentiarum plagis varijs afficit & castigat.

S Volentes itaq; de Fratrum nostrorum consilio malis huius-
modi

modi (ne ea per patientiam approbare videamur) opportunis
 quibus possumus remedijs obuiare; Mandamus vobis Ec-
 clesiarum Rectoribus, tam Religiosis quàm secularibus, omni-
 bus & singulis in virtute sanctæ obedientiæ firmiter iniun-
 gentes, quatenus deinceps in vestris Ecclesijs, singulis diebus
 Dominicis & festiuis, ex parte nostra in virtute sanctæ obe-
 dientiæ, & sub pœna Excommunicationis, vestris Parochianis
 districtius iniungatis, vt omnes dies Dominicos, ceterosq; dies
 festos Maiestati altissima deputatos; nec non & festiuitates
 alias, ob sanctorum reuerentiam institutos, quæ in nostra
 diœcesi ex antiquo sunt celebres obseruata, de vespera in ve-
 speram cum omni veneratione celebrent & obseruent: Sic
 quod in illis & maximè diebus Dominicis, alijsq; præcipuis
 festiuitatibus mercatum non faciant, nec aliud quoduis opus
 illicitum operentur. Vniuersitati autem vestra commit-
 timus & mandamus, quatenus quilibet vestrum in sua Pa-
 rochia rebellionem illorum, qui diuini timoris & suæ salutis
 immemores, in aliqua dierum vel festiuitatum huiusmodi
 de cetero celebritatem præsumpserint violare, monitione
 præmissa, per Excommunicationis sententiam teneantur com-
 pescere & punire, nobisq; eos qui incorrigibiles fuerint nun-
 ciare. Archidiaconis vero nostris Vratislauen. per
 suos Archipresbyteros, & alijs iniungimus, firmiter & man-
 damus, quatenus quilibet ipsorum per Archidiaconatum
 suum, in singulis sedibus Archipresbyteratus per suos
 Archipresbyteros hoc nostrum mandatum presentibus li-
 teris his contentum, faciant in Ecclesijs publicari; ne ali-
 quis per ignorantiam se valeat excusare. Præterea sunt
 nonnulli vt accepimus, tam Religiosi quàm seculares Cle-
 rici, fama suaq; prodigi salutis, tempore interdicti non
 clausis Ecclesiarum ianuis, sed apertis, ac personis interdictis in
 Ecclesijs

Ecclesijs ipsis frequenter consistentibus, in Sacristia vel in Choro, licet pro tempore breui clauso, Missas & alia diuina officia voce omninò non submissa celebrare presumunt, nec tamen per hoc interdictum se reputant violasse; licet autem per constitutionem Domini BONIFACII Papa octaui, tempore interdicti, Religiosi & seculares Clerici in Monasterijs & Ecclesijs suis, quolibet die possint Missas & alia diuina officia celebrare: hoc tamen non licet eis, nisi ianuis Monasteriorum & Ecclesiarum clausis, ac excommunicatis & interdictis exclusis, quibus etiam extra Ecclesiam stantibus, per cancellos & fenestras non licet respicere Corpus CHRISTI, vel quicquam aliud, quod agitur in Altari, vel legentium etiam voces audire. Vniuersitatem ergo vestram hortamur in Domino, & nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ districtè mandamus omnibus, vt in hoc vestræ saluti pariter & honorì cautiùs præcauere curetis, ne incautè per violationem interdicti, vestram aliquis irregularitatis laqueo se inuoluat, à quo nequaquam poterit alio modo, quam per Sedem Apostolicam liberari.

Sane


Sane quoniam peccatis exigentibus undiq; mala plurima nos perturbant, credimus non immeritò ad Omnipotentem **DEVM** nostrum humilibus & deuotis precibus recurrendum, vt qui culpis offenditur, pœnitentia & precum humili supplicatione placetur: Igitur de Fratrum nostrorum consilio statui- mus & mandamus, quatenus in nostra Ecclesia Cathedrali, nec non in omnibus & singulis Parochialibus Ecclesijs ciuitatis & diœcesis **VVratislauien.** iugiter de vespere circa crepuscu- lum, omni die de cetero tribus vicibus ad vnâ partem breui- bus interuallis campana pulsetur, vt omnes & singuli Christi fi- deles ad campanæ sonitum, flexis genibus gratiam **Matris** gratie inuocantes, & **AUE MARIA** dicentes, pro bono statu Eccle- siæ, & pace terrarum nostrarum, deprecentur. Omnibus enim, quicunq; deuotè sic pro pace & bono statu Ecclesiæ & terrarum, **Dominum IESVM CHRISTVM**, & glorio- sam Matrem eius tunc exorauerint, de Omnipotentis **DEI** confissi clementia, quadraginta dierum indulgentiam imparti- mur. Quod salutare Statutum, precipimus ab omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus & Prælatiis, coram suis plebibus tribus saltem diebus Dominicis solenniter publicari.

Ista sunt quæ constituit **Dominus NANKERVS**
Episcopus **VVratislauien.** sub Anno Domini
Millesimo trecentesimo trigesimo
primo.

F **CONSTI.**

CONSTITVTIONES
 DOMINI WENCESLAI
 EPISCOPI VVRATI-
 SLAVIENSIS.

IN NOMINE SANCTÆ
 ET INDIVIDVÆ TRINITATIS,
 AMEN.



WENCESLAUS DEI
 GRATIA EPISCOPVS
 VVRATISLAVIENS:

Uniuersis & singulis Presbyteris &
 Clericis nostræ diœcesis, Salutem in eo qui est omnium uera pax
 & salus. Super gregem Dominicum diuinitus nobis creditum,
 & in partem sollicitudinis uocati, speculatoris officium in uinea
 nobis commissa exercentes, ad uniuersas nostræ diœcesis Eccle-
 sias aciem nostræ considerationis extendimus, & congrua pro-
 uisionis remedia singulis defectibus, quanto nobis ex alto com-
 missum est intendimus adhibere; Et quamuis deceat quosq;
 subditos curam solertem gerere, ut ambulent uelut filij lucis,
 hoc tamen præcipuè ab illis uidelicet Ecclesiarum Rectoribus, &
 Prælatibus, & Clericis, qui constituti per altitudinem regiminis
 & officij in specula, quasi signum positi sunt ad sagittam, exi-
 gitur, ut circa commissos sibi Plebanos, Pastoris simul & cu-
 stodum

studium officium implentes sic inuigilent; ut vita, doctrina & moribus alios ad bene viuendum suo exemplo prouocent & inducant. Sanè quia non est ambiguum, illud esse sceleratius commissum, quod est grauius punitum; cumq; uicium incontinentiæ diuinæ Maiestatis oculis sit detestabile, ut etiam totum orbem ab illo uitio expurgandum, cataractas Cæli soluendo, omnem carnem paucis exceptis, aquis diluuij deleuit, pro nulloq; crimine dixit, quàm pro illo; Pœnitet me fecisse hominem. Illud etiam uitium per pœnarum exaggerationem de finibus nostræ diœcesis, & præsertim à filijs Leui, ut sacrificium illud incontaminatum, puro corde & casto corpore acceptabiliter offerant, propellere; & eos qui quasi aurum & argentum colare volentes, præsentis Synodi, ac etiam nobis à future, indulti auctoritate non nouam rem aggredientes, neq; uiam insolitam ambulantes: sed anteriorum Iurium & Constitutionum prouincialium, quarum nonnulla propter earum uetustatem in obliuionem datæ sunt & traditæ; aliqua uerò per abusum abrogatæ nec receptæ, calcatam uestigijs inherentes; Statuimus & statuendo mandamus, quatenus nullus Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, cuiuscunq; gradus uel conditionis existant nostræ diœcesis, concubinam seu focariam, uel alias mulieres suspectas in domo sua uel aliena teneat, & ei uictualia ministret, seu ministrare faciat; Alioquin omnes tales tenentur, & priuantur pœna priuationis quartæ partis reddituum beneficiorum suorum, quam incurrere uolumus ipso factò. Confidimus enim, quòd spiritualis pœna Excommunicationis & suspensionis talibus à iure infligenda quæuis, quàm temporalis, quamuis periculosior formidatur in temporalem commutata; subditorum mutabuntur & mores: Et quia necesse est ut ferro abscindantur uulnera, quæ fomentorum non sentiunt medicinam, adijcimus præsentis Constitutionis vigorem; Quòd si quis

Clericus, post ipsius Constitutionis publicationem, concubinam tenere præsumpserit, pœnam carceris seu carceralem ad tempus per nos vel Officiales nostros moderandam incurrere volumus, ipse iuris pœnitentiam singulis ferijs sextis in pane & aqua, ferijs quartis & sabbatinis in pane & cereuisia, ut corpore quo deliquit puniatur peracturus, quousq; ad cor reuersus, se à commissis castigatione condigna maceratus duxerit cohibendum.

¶ Item: cùm in officijs charitatis illis primo loco simus obnoxij, à quibus nos constat charitatis beneficia percepisse; nonnulli hæc minimè perpenderes, contra debitum ordinem charitatis animæ suæ potius detrimentum, quàm testamentum facientes, & ut eorum vita enormis apud quos conuersati sunt, etiam post mortem iugis maneat memoria, & odor malæ famæ diutius corda fidelium inficiat, concubinis suis & focarijs tam magnas faciunt legationes & testamenta, de tot & tantis rebus, & annuis redditibus assignationes & donationes, quæ etiam valde insignibus nobilibus & illustribus viderentur pro dote sufficere, Ecclesias quarum intuita bona acquisierunt in testamentis suis damnabiliter prætereuntes: Nos præmissis congruam volentes adhibere medelam; Statuimus, & statuendo mandamus, quatenus nullus Ecclesiarum Parochialium Rector, vel alius Clericus, quicumq; administrationem habens, de bonis maximè intuitu beneficiorum suorum acquisitis, aliquod testamentum, legationem, assignationem, seu donationem concubinis suis seu focarijs, vel alijs suspectis personis, & Laicis, in vita vel in morte faciat: sed secundum iuris communis dispositionem eadem bona sua successoribus suis dimittant, vel Ecclesijs, pro earum reparatione, seu librorum, vel aliarum rerum ad diuinum cultum comparatione, relinquunt & disponant. Et quia iuxta Canonicas & legitimas sanctiones, pactum turpe & rei turpis nulla est obligatio, omnes donationes, testamenta & legationes prædictis personis, & promissiones de his faciendum factæ,

facta, irritamus, annullamus & cassamus; imò verius irritas, cassas & nullas nunciamus, non obstantibus quibuscung, concessionibus & indultis, ac literis testandi sub quacung, forma verborum à nobis concessis, per quæ huic nostro Statuto nullum volumus præiudicium generare: Per hoc non negamus, quin CHRISTI pauperibus, amicis suis, & seruatoribus, seu in alios pios vsus, donationem de rebus suis prædictis facere possint, tamen moderatam.

De Tabernarijs.

ITEM: Statuimus & mandamus, hortamurq, per viscera misericordie IHESV CHRISTI, quatenus omnes Clerici à tabernarum visitatione, à crapula & ebrietate, quæ mentis inducit exilium, & libidinis prouocat incentiuum, abstineant, conuiuiaq, & comessationes in eorum conuocationibus & animarum commemorationibus (quas stipas vocant) non faciant; cantilenas mundanas turpes & scurrilia turpiloquia (sicut decet sanctos) non proferant, neq, cantent: linguas suas & ora, quibus incontaminata CHRISTI mysteria consciunt & premunt, omni mendacio & periurio præsertim exclusis, munda conseruent: secularibusq, negocijs se non misceant: per decentiamq, habitus extrinsecam, moris honestatem intrinsecam ostendant. Statuendo mandamus, quatenus nullus Clericorum vestes & habitum, tam forma quàm coloris sacris Canonibus (præsertim per constitutionem CLEMENTIS V. c. de vita & honestate Clericorum) prohibitos, nec non mitras antè vel retrò veluti cornua curuatas portent seu deferant: Alioquin ultra pœnas à Iure communi statutas, contra facientes, & præsertim tabernas absq, itineris necessitate visitantes, pœna Synodali, videlicet trium Marcarum argenti, deernimus præsentis constitutione vigoris ipso facto mulctatos.

De Eucharistiæ expositione.

ITEM: Quamuis retroactis temporibus, nonnullis personis tam secularibus quàm regularibus, & certis locis spe augmentandæ deuotionis à nobis sit indultum; vt aliquibus diebus in septimana illud viuificum & salutiferum hereditatis æterna pignus nostrum certissimum, Corporis domini nostri Ihesu Christi sacramentum, visibiliter exponi & publicè possit demonstrari; ex qua frequenti expositione (vt percepimus) excreuit indeuotio multorum, minoratur reuerentia, tepescit charitas, & vt locorum vicinorum pericula edocent, ex ea hereses insurgere & pullulare formidamus: Et quia quòd ob salutem piè indulsumus, cum ad noxam tendere perspiciamus, consultius reuocamus. Cumq; etiam sanctorum Patrum sanxit auctoritas, quòd istud sacratissimum Sacramentum post Missarum solennia; nisi pro vsu infirmorum & decedentium, reseruari non debet, ne veluti (quod in figura quando DEVS de cælo Manna pluit in deserto patribus) species huius Sacramenti in alterum diem reseruata putrescant seu putrescant: Mandamus igitur statuendum: Quòd nullus inantea Clericorum secularium siue regularium, sub obtestatione diuini iudicij istud veneratissimum Sacramentum Missarum solennijs expletis, (festo Corporis domini nostri IHESV CHRISTI, & si eiusdem Sacramenti singularis fiat memoria, excepto) exponere, demonstrare & reseruare, quàm ad vsu infirmorum presumat, præter pœnam rebellionis & contemptum nostri mandati, quam se nouerit incursum, pœna Synodali contrà facientes toties quoties contra præmissa præsumptum fuerit, subiacere volumus ipso facto. Non negamus tamen quin ipsi Clerici, qui singularem eidem viuifico Sacramento reuerentiam exhibere volunt, Missam ipso Sacramento non exposito publicè nec denudato celebrare poterint & decantare.

De colla-

De collatione Sacramentorum in communi.

ITEM: Multorum oculos sic auaricia vitium excacauit, ut diuino timori postposito, Christi fideles, nec Sacramenta Corporis nostri, nec Vnctionis extrema procurare, & eis conferre nec Baptizare, nec matrimonialiter copulare volunt, nisi prius certis denarijs presentatis vel datis. Et quia tales ementes & vendentes exemplo Saluatoris merito de Templo DEI eijciuntur Mandamus omnibus & singulis Presbyteris, curatis & non curatis, ut inantea talia non attentent: Statuentes sub pœna priuationis beneficij, quatenus nihil pro collatione Sacramentorum (prætextu etiam cuiusuis consuetudinis) exigant, sed ipsa Sacramenta sine pacto & quauis exactiōe gratis porrigant & conferant. Volumus tamen, quod ubi pia fidelium deuotione & introductione, quod Sacramenta ministrantibus aliquid consuevit dari, quod huiusmodi consuetudinis contemptores & violatores per nos ex mero officio, vel Officiales nostros, ad eandem seruandum compellandos nobis vel eis denuncient, & ad nostram vel eorum noticiam perducant.

De Clericis peregrinis.

ITEM statuimus: Quod nullus Ecclesiarum Rector Clericos peregrinos & extraneos in sua Ecclesia ad celebrandum, vel aliud officium exercendum clericale, nisi uisis literis nostris receptorijs, sub pœna Synodi admittat.

De Sacramento conseruando.

ITEM dolenter referimus: Quod nuper ignis voragine duabus Ecclesijs nostra diœcesis consumptis, eorū Sacra in quibus

quibus Sacramenta conseruantur, lignea fuerunt, incendio totaliter sunt consumpta & incinerata. Ne igitur propter nostram incuriam, diuina ultio in nos grauius exardescat; Mandamus hortantes, quatenus Plebani, cateriq; Ecclesiarum Rectores, & earum Vitrici, Sacraria in quibus Sacramenta conseruari debent, de lapidibus seu lateribus construunt, & construunt faciunt; districtè precipientes sub pœna Synodali, quatenus Corpus CHRISTI viuificum, vna cum alijs Sacramentis, Vnctionem in loco singulari mundo & signato, seris adhibitis, iuxta generalis Concilij decreta, ne ad ea temeraria manus possit extendi ad aliqua nefaria & horrenda exercenda, reseruent & custodiant; ne ossa Regis Idumœa redigantur in cinerem. Et quia ipse Saluator noster redemptionis ministerio expleto, corpus suum mortuum, & pro nobis in ara Crucis arefactum, in sepulchro petra exciso sigillis munito voluit recondi & reseruari: Multò plus Sacramentum Corporis sui iam in cœlo regnantis & immortalis, in quo Sacramento nobiscum manere voluit etiam corporaliter, vsq; ad consumationem seculi, ne incineretur & corrumpatur, maiori diligentia & custodia, reuenterq; conseruari debet & custodiri: Sed quia ad id forte nonnullarum Ecclesiarum perficiendum non suppetunt facultates; ideo omnibus qui ad ipsa Sacraria manus porrexerunt construenda adiutrices, quadraginta dierum indulgentias, auctoritate eiusdem Domini nostri IHESV CHRISTI, & Apostolorum eius Petri & Pauli, confisi in Domino misericorditer elargimur.

Accentus & cantus sit idem cum
Ecclesia Cathedrali.

ITEM. Quia non licet membra à capite recedere, & turpis sit pars que suo non congruit uniuerso, conuenitq; iuxta
sacrorum

sacrorum Canonum decreta, Ecclesia ordinem ab omnibus equaliter custodiri sub debita obedientia & pœna Synodali: Districtè præcipiendo mandamus statuendo, quatenus omnes & singuli Clerici beneficiati nostræ diœcesis, & præsertim Ecclesiarum Parochialium Rectores, nec non & Collegiata Ecclesiæ, in diuinis officijs, & Missarum celebrationibus, inchoationibus & conclusionibus Collectarum, in accentibus Epistolarum & Euangeliorum, & notis Præfationum, eundem ordinem, ritum & morem, quem tenet nostra Ecclesia Cathedralis, & qui seruatur in eadem, teneant diligenter & obseruent; seq̃, eidem in omnibus coaptent & conforment, contra facientes pœna Synodali mulctantes.

Circuitu interesse debent Beneficiati.

ITEM: Statuimus ordinantes, quòd quilibet Clericus in Ecclesijs, in quibus beneficiatus existit, diebus Dominicis, & alijs, quibus Processiones solennes fieri solent, ipsis Processionibus intersit, sub pœna unius grosi vsualis, quam incurrere volumus negligentem ipso facto; quam pœnam in Ecclesia nostra Cathedrali & Collegiatis per Vicedecanos, in alijs verò per Ecclesiarum Rectores exigi volumus & mandamus: quam pœnam post eorum requisitionem, si processioni non interfuerit, infra tri-duum soluere neglexerit, suspensionis ab ingressu Ecclesiæ sententiam incurrat ipso facto.

Missas quot quilibet legat.

ITEM: Quia sunt nonnulli Ecclesiarum Rectores, in quos torpor negligentia in tantum obrepit, quòd vix in Ecclesijs suis infra unius hebdomadae spacium, vnã tantum Missam; nonnulli Altarista (quod deterius est) vnã, imò nullam per anni circulum, in Altaribus & Ecclesijs, in quibus beneficiati

G

existunt,

existunt, celebrant, seu faciunt celebrare. Quare statuimus, disponimus & ordinamus; quòd quilibet Plebanus ruralis tres Missas ad minus in Ecclesia sua singulis hebdomadis, Altarista verò unam: nisi ad plures celebrandas ex fundatione vel consuetudine esset astrictus: quas omnes teneantur per se, vel per alios legant, & dicant seu decantent, sub pœna Synodali; in contrà facientes grauius processuri.

De Copula matrimoniali.

ITEM mandamus anterioris Iuris decreta exequentes, quatenus nullus Presbyter Parochianum alienum, seu quosuis alios, etiam suos Parochianos in facie Ecclesia copulet, seu copulari præsumat bannis non præmissis: contra facientes pœnam Synodalem, præter pœnam aliàs à iure talibus inflictam, incurrere volumus ipso factò.

Ne rapta raptori copuletur.

ITEM mandamus; quatenus nullus raptam raptori copulet, nisi pristina libertati restitutam, sub pœna præmissa. Et quia sunt nonnulli Laici, qui bannis non præmissis se faciunt copulari, ignorantes publicare, seu bannum præmittere verècundentur & non curent, & ut pœna timoris ad ea præmittenda faciliùs inclinentur; Mandamus omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus, quatenus constitutionem Concilij generalis, que incipit; Cum inhibitio. presentibus annexam, tribus diebus Dominicis post nunc instans festum Natiuitatis CHRISTI, ne in præmissis se Iuris ignorantia excusare poterint, studeant publicè ex eorum Ambonibus publicare.

De immu-

De immunitate Ecclesiarum.

ITEM: Quia fama crebrò referente, experientiaq, quae
 efficax rerum magistra existit, didicimus; Quòd nonnulli
 Consules ciuitatum & oppidorum, ac alij Capitanei, Balini,
 cateriq, potestatem habentes, tot onera Clericis, & eorum sub-
 ditis & bonis imponunt, vt omnia eorum negocia, quae per eos
 agenda sunt, de bonis Ecclesiasticis & subditorum eorum cuncta
 ferè velint compleri: & quod deterius est, bona Ecclesiarum
 propria auctoritate, imò verius temeritate inuadunt, ho-
 mines Ecclesiarum spoliant, & res eorum violenter reci-
 piunt, sibi Ius in eis cum nullum habeant vendicantes, non
 perpendentes quòd eis de rebus Ecclesiae nulla sit disponendi
 attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non au-
 ctoritas imperandi. Et quia Statuto provinciali loca, ad quae
 res Ecclesiarum per habitantium in eisdem violentiam ab-
 lata, deducuntur, Ecclesiastico ipso facto subiiciuntur inter-
 dicto; Mandamus vobis omnibus & singulis Ecclesiarum Re-
 ctoribus, quatenus in ipsis locis, ad quae res ipsae perductae sunt,
 & peruenerint, interdictum auctoritate praefati Statuti prola-
 tum inuiolabiliter obseruetis, alio super hoc mandato a nobis
 minimè expectato. In derogationemq, Ecclesiasticae libertatis
 & contemptum nonnulla statuta faciunt & ordinant, & edicta
 sua publicè proclamant; Iurisdictionem etiam Ecclesiasticam,
 eos qui ad suam iusticiam consequendam ad fores Ecclesiae confu-
 giunt bannientes, & proscribentes impediunt: Sunt & alij, qui
 Clericos etiã non solum in bonis molestant, sed & eorum personas
 iudicant, captiuant & detinent, & eorũ iudicio contra sanctorum
 Patrum decreta parere compellunt. Multi etiam in sua salutis
 graue dispendium, in gradibus consanguinitatis & affinitatis, &
 aliàs à iure prohibitis contrahunt, & contrahere matrimonium
 praesumunt. Nonnulli etiã contra neruum Ecclesiasticae censurae,

& in vilipendium & contemptum; tempore interdicti contra
 prohibitionem Iuris, & aliqui excommunicatos publicè sepe-
 liunt; & Ecclesiastica tradunt sepultura: Et quia contra tales
 presumptores & temerarios actores sufficienter Iuris communis
 remedio est prouisum; certa Capitula corporis Iuris clausa,
 ne tam illi qui ea publicare, seu illi quibus publicari & noti-
 ficari debent, ignorantiam allegare valeant aliqualem, presen-
 tibus nostris Statutis duximus annexenda. Primo c. Non
 minus de immuta: Eccle. Secundo c. Cum inhibito de clam
 despon. Tertio c. Nouerit de sen: Excom. Quarto c. Quo-
 niam ut intel. & c. c. Eos qui de immunita: Eccle. lib: VI.
 Quinto c. Quoniam qui abiectis. de vita & ho: cle. in Cle.
 Item c. Eos qui de sepul. & c. Eos qui de consang: & affini. in
 Cle. Quibus etiam addi fecimus; Si iudex Laicus. de sen:
 Excom. lib: VI. Mandantes omnibus & singulis Archi-
 presbyteris sedium nostræ diœcesis, quatenus presentia nostra
 Statuta, unâ cum predictis Constitutionibus eis annexa, ante-
 quam de loco recedant Curie nostræ notarium recipiant, conuo-
 cationibusq; factis, infra unius Mensis spacium, singulis suarum
 Plebanis legant, intiment & insinuent; quibusq; Plebanis ea-
 dem Statuta à suo Archipresbytero, præacti etiam Archi-
 presbyteri quilibet à suo Archidiacono statuta in proxima Sy-
 nodo nostra nuper edita, suis Plebanis per eum communicanda
 recipiant, & conscribi faciant infratres Menses, sub pœna Sy-
 nodali: præfatig; Ecclesiarum Rectores eadem capitula supe-
 rius descripta & annexa, infra hinc & festum Epiphaniæ Do-
 mini, successiuè certis diebus Dominicis & festiuis populo publi-
 cent, & publicari faciant.

Visitatio

Visitatio Cleri per Archidiaconos.

ITEM: Parum est Iura condere, nisi sit qui ea tueatur, & debita executioni demandet sub obtestatione diuini iudicij, & suspensionis ab officio pœna. Mandamus omnibus Archidiaconis nostræ diœcesis, quatenus infra hinc & festum Natiuitatis beati IOHANNIS Baptistæ, quilibet prout ad eorum pertinet officium, singuli singulas sui Archidiaconatus Basilicas visitent, auctoritateq; nostræ, quam eis presentibus impartimur, quæ corrigenda & reformanda viderint, reforment & corrigant; & præsertim de vita & continentia Clericorum diligentius inquirant, pœnamq; Statuti supra expressi à concubinarijs per censuram Ecclesiasticam exigant: & si excessus qualitas meruerit, vel eorum rebellio grauioribus pœnis per nos corrigendum, contumaces nobis deferant & denuncient. Et an Sacramenta diligenti custodia sint reseruata, fidei per lustratione conspiciant, secundumq; Statuta prouincialia antiqua, singulos in Canone & signis an ea competenter faciant & sciant: Et modo & forma Baptisandi, & verbis substantialibus diligenter examinent; ignorantes ab officio, prout viderint expedire, ad tempus suspendant, nec easdem suspensionis sententias iuxta eorundem Statutorum tenorem, præter nostram sententiam relaxent. Pœnam Synodalem transgressores Statutorum presentium, & etiam in proxima Synodo statutorum, & præsertim qui ea non habuerint, & apud quos ea non repererint, per nos in pios vsus conuertendum soluere compellant; sicq; in præmissis curam solertem & diligentem exerceant, officijq; sui debitum irreprehensibiliter exigant, ne videantur quæ sua sunt querere, sed quæ IHESV CHRISTI, vt talentum ministerij sibi traditi, cum Dominus rationem positurus cum seruis suis venerit, reddere poterint & representare, multiplicibus virtutum meritis augmentatum, superq; multa & plura ab

eodem constituendi, at eorumq; praeiorum mansiones consequi,
& in gaudia sua feliciter poterint & valeant introire.

De copula Coniugali.

CUM inhibito copula coniugalis sit in ultimis tribus gradibus reuocata, eam in alijs volumus districtè seruari. Unde praedecessorum nostrorum vestigijs inherentes, clandestina coniugia penitus inhibemus: prohibentes etiam, ne quis sacerdos talibus interesse praesumat, quin specialem quorundam locorum consuetudinem ad alia generaliter porrigendo; Statuimus, cum necessaria fuerint contrahenda in Ecclesijs per Presbyteros publicè proponantur, competenti termino praefinito, ut ille qui voluerit seu noluerit, legitime impedimentum opponat, & ipsi Presbyteri nihilominus inuestigent; Virum aliquod impedimentum obsistat. Cum autem apparuerit probabilis coniectura contra copulam contrahendam, contractus interdicitur expressè, donec quid fieri debeat super hoc manifestis constiterit documentis. Si quis enim huiusmodi interdicta coniugia inire praesumpserit in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali coniunctione suscepta, prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium, cum illi taliter contrahendo non ex parte scientiae, sed affectatores ignorantiae videntur: pari modo proles illegitima censeatur; si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, praeter omnem interdictum, etiam in conspectu Ecclesiae contrahere praesumpserint. Sanè Parochialis sacerdos si tales coniunctos prohibere contempserit; nec non quiuis etiam Regularis, qui eis praesumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, grauius puniendus si culpa qualitas postulauerit: sed qui taliter copulari praesumpserint, etiam in gradu concesso, dignam poenitentiam iniungant. Si quis autem ad impediendam legitimum co-

mam copulam maliciosum impedimentum obiecerit, Canonicam non aufugit vltionem.

De fide pactionis & consensu.

Nouerit fraternitas tua, & infra. Excommunicamus omnes hereticos vtriusq; sexus, quocunq; nomine censeantur, & fautores, receptores, & defensores eorum; Nec non & qui de cetero fecerint seruari Statuta edita, & consuetudines introductas contra Ecclesie libertatem, nisi ea de Capitularibus suis infra duos menses post huiusmodi publicationem sententia fecerint amoueri. Item: excommunicamus statuarios & scriptores Statutorum ipsorum, nec non potestates, Consules, Rectores, & consiliarios locorum, ubi de cetero huiusmodi Statuta, & consuetudines, Ecclesie fuerint, obseruata: nec non & illos, qui secundum ea presumpserint iudicare, vel in publicam formam scribere iudicata. Quoniam (vt intelleximus) quorundam iusticiariorum balinorum, iudicium secularium ac temporalium dominorum, in quibusdam partibus presumptuosa temeritas sic excreuit, vt in terris eorum siue districtibus literas Apostolicas impetrantes, vel ad iudices ordinarios Ecclesiasticos recurrentes, super causis, negocijs seu questionibus, quae de iure, aut antiqua consuetudine, ad forum Ecclesiasticum pertinent, obtinere non possint, in eis per eosdem ordinarios iudices, vel Apostolicas literas, iusticia complementum; quin potius super illis recurrere ad iudicium seculare, vel a lite, causa & questione desistere compelluntur. Nos iusticiam nostram, & Ecclesie sponse nostrae, nolentes negligere, qui alios in sua iusticia confouemus; Statuimus, ne quis impetratores literarum nostrarum, vel alios ad forum Ecclesiasticum recurrentes, super causis quae ad idem forum de iure vel antiqua consuetudine pertinere noscuntur, ad desistendum, vel in foro seculari de questionibus huiusmodi

huiusmodi litigandum, per eorundem iudicum Ecclesiasticorum, vel impetrantium, aut litigantium, seu nolentium litigare, aut propinquorum ipsorum, seu rerum illarum & Ecclesiarum suarum captionem, modisq; alijs quibuscunq; compellat seu compelli faciat vel procuret, nec per se aliosq; impediatur, quò minus coram iudicibus Ecclesiasticis delegatis seu ordinarijs querelantes de causis, quæ ut præmissum est ad cognitionem pertinent eorundem, possint liberè iusticiam obtinere, nec ad prædicta faciendâ det auxilium, consilium, fauorem. Si quis verò contra præsumpserit, excommunicationi se ipso facto nouerit subiacere; à qua nisi tam Iudici, cuius cognitio fuerit impedita, vel iurisdictioni usurpata, quam parti quæ turbata in prosecutione fuerit sui iuris, de iniurijs, damnis, expensis & interesse, priusquam per eundem integrè fuerit satisfactum, nullatenus absoluat. ¶ Et qui temporale dominium obtinent, suis subditis, ne Prælati, aut Clericis, seu personis Ecclesiasticis quicquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem, neq; ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibere præsumant, aliquando interdiciant; cum talia in derogationem libertatis Ecclesiasticæ præsumantur, ipso facto Excommunicationis sententiæ decernimus subiacerè.

De vita & honestate Clericorum.

Quoniam qui abiectis vestibus proprio congruentibus ordini alias assumere, & in publico portare, rationabili causa cessante præsumit, Professorum ordinis illius prerogatiua se reddidit indignum: præsentî Constitutione sancimus; quòd quicunq; virgata vel partita publicè veste utetur, si beneficiatus extiterit, per sex menses à perceptione fructuum beneficiorum quæ obtinet, sit eo ipso suspensus: Si vero beneficiatus non fuerit, in sacris tamen ordinibus citra sacerdotium constitutus, per idem tempus

tempus redditur eo ipso inhabilis ad beneficium Ecclesiasticum obtinendum. Idem quoque censemus de Clericis alijs, vestem talem publicè deferentibus, Clericalem dignitatem, vel personatum, seu beneficium aliud obtinentibus, cui cura imminet animarum; nec non ceteri in sacerdotio constituti, ac Religiosi quilibet, quos oportet per decentiam habitus extrinseci morum intrinsecam honestatem ostendere, si præterquam ex causa rationabili publicè vestem ferant, huiusmodi sint eo ipso, beneficiati videlicet, à perceptione fructuum beneficiorum quæ obtinent, suspensi per annum. Ceteri verò Sacerdotes & Religiosi quilibet, per idem tempus reddantur ad quodcunque beneficium inhabiles obtinendum: Sed & tales & ceteri quicunque Clerici utentes epitogio seu tabordo foldrato, ita breui, quod vestis inferior notabiliter videatur; epitogium ipsum seculares Clerici & Religiosi administrationem habentes, teneantur infra mensem dare pauperibus. Ceteri vero Religiosi administrationem non habentes, infra idem tempus teneantur suis superioribus assignare in pios usus aliquos convertendos. Alij beneficiati suspensionis, ceteri verò inhabilitatis pœnas prædictas per idem tempus se noverint incurrisse. Huic insuper adijcimus sanctioni, ut Clerici, præsertim beneficiati caligis cacacis, rubeis, aut viridibus, publicè non utantur.

De sepultura Ecclesiastica.

EOS, qui propria temeritatis audacia, defunctorum corpora, non sine contemptu clauium Ecclesiæ, in cæmiterijs interdicti tempore in casibus nemini concessis à iure, vel excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel usurarios manifestos, scienter sepelire præsumunt, decernimus ipso facto Excommunicationis sententiæ subiaccere; à qua nullatenus absoluantur, nisi prius ad arbitrium Diocesani Episcopi, eis quibus per

quibus per premissa fuerit iniuria irrogata, satisfactionem exhibuerit competentem, nullo eis circa premissa exemptionis, vel quouis alio privilegio, sub quacungq; forma verborum concesso, aliquo modo suffragante.

De Copula illicita.

EOS, qui diuino timore postposito in suarum periculo animarum, scienter in gradibus consanguinitatis vel affinitatis, constitutione Canonica interdictis, aut cum Monialibus matrimonialiter contrahere non verentur: nec non Religiosos, & Moniales, & Clericos in sacris ordinibus constitutos, matrimonia contrahentes, refranare metu pœne ab huiusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipsos Excommunicationis sententiâ ipso facto decernimus subiaceri, Praecipientes Ecclesiarum Prælati, ut illos quos eis constiterit taliter contraxisse, excommunicatos publicè tamdiu nuncient, seu à suis faciant subditis nunciari, donec suum humiliter cognoscentes errorem separentur ab iniuicem, & absolutionis obtinere beneficium mereantur, per prædicta Iuribus, quæ sic contrahentibus alias pœnas imponunt, in nullo volumus derogari.

De Iurisdictione & foro competenti.

SI iudex Laicus malefactorem captum detineat, & is se Clericum dicens, ad curiam Ecclesiasticam petat remitti, vel curia ipsa eum tanquam suum Clericum repetat, illum iudice inficiante Clericum esse, & ob hoc minimè remittendum, dubitatione huiusmodi, an scilicet sit qui repetitur Clericus, ad iudicem Ecclesiasticum, quia de re Ecclesiastica & spirituali, vocato tamen ad hoc seculari, vel alio cuius interest, cognitio pertinebit. Et si notorium fuerit, quod idem malefactor sit Clericus, qui huiusmodi privilegio gaudere debeat, statim absq;
alia cogni-

alia cognitione, si fama publica de hoc extiterit, aut ipse pro Clerico communiter habebatur, in continenti & ante cognitionem Clericatus Ecclesiasticæ curiæ debet reddi.

¶ Item etiam censemus: Si reus ipse ante deprehensionem pro Laico publicè se non gerens, deprehensus fuerit in habitu clericali, tonsuram videlicet & vestes deferens clericales; nam talem debemus Clericum, donec constet de contrario, representare, sicut de illo qui in possessione ingenuitatis existat. Si dicatur ab alio Libertinus, legalis sanxit auctoritas, ut probandi necessitate non ipse sed aduersarius astringatur. Iustum est enim, ut ipse talis quem gestat ex habitu, quousq; appareat aliud presumatur, qualis is esse, cuius fert habitum, comprobetur: Ex stigmate namq; consueto Fabricensibus imprimi, latens Fabricensis agnoscitur. Custodes aquarum quos hydrophylaces nominant, quæ eis insigi solet annotatione signati, manifesti sunt omnibus, & angariarum nomine non tenentur: Isq; status alicui esse videtur, in quo ipse deprehenditur, donec contrarium doceatur. Non sic autem volumus obseruari; si ante deprehensionem pro Laico publicè se gerebat, ac pro tali communiter habebatur, quamuis ante deprehensionis tempus captus fuerit in habitu clericali, tunc enim restituendus non est, quousq; fidem de titulo fecerit clericali; cui eidem probationis onus incumbat propter presumptionem, quæ aduersus ipsum orta est ex delatione Laicalis habitus: procedendo tamen contra eum, interim processus quiuis iudicis secularis penitus conquiescat.

Conductio Eucharistiæ.

ET ut DOMINO, quantum in nobis est, populum reddamus acceptabilem, & bonorum operum sectatorem; & quod gratis accepimus, gratis alijs communicemus: omnibus Christifidelibus

H ij libus

libus verè confessis & contritis, qui sacrum Corpus CHRISTI, quando defertur ad infirmos, vel quando ad Ecclesias reportatur, deuotè conduxerint; seu qui verbum DEI toties quoties in Ecclesijs predicatur audierint; nec non & illis, qui ad pulsationem campanarum de mane & de sero, iuxta tenorem nostri mandati faciendum, flexis genibus vnum PATER NOSTER, & tria AVE MARIA, ob reuerentiam Beatæ Virginis Maria, pro felici statu & vniõne Ecclesiæ, & pro Pace dixerint; quadraginta dierum indulgentias, auctoritate Domini nostri IHESU CHRISTI, & beatorum Petri & Pauli, confisi misericorditer elargimur.

¶ Item: De specialis dono gratiæ omnibus & singulis Presbyteris, Curatis & non curatis, ceterisque Clericis nostræ diœcesis, hic presentialiter constitutis; ut sibi quilibet valeat eligere confessorem seu confessores, eos qui absoluerè valeat seu valeant: in casibus etiam nobis à iure vel consuetudine reseruatis, plenam auctoritate presentium concedimus facultatem, ad vnum annum duntaxat valituram. Casus tamen in quibus ipso facto quis incidisset Excommunicationis sententiam, à iure vel ab homine prolatam nobis specialiter reseruamus.

SYNO-

SYNODALIA STATUTA
 DOMINI CONRADI
 EPISCOPI VVRATIS.
 LAVIENSIS.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.



OS CONRADVS
 DEI GRATIA EPISCOPVS
 VVRATISLAVIEN.

Ut animas nobis commissas lucrifacere valeamus; non omninò noua Statuta, sed vetera reformando, nostras Constitutiones, licet non omnes, quasdam tamen, quibus plus nostris subditis consulatur, de corrigendis excessibus & moribus reformandis; ad decorem nostræ & omnium aliarum Ecclesiarum nostræ diœcesis, decreuimus subscriptas Constitutiones, constitutionibus Prædecessorum nostrorum annectendas: Ita tamen, quòd tam in nostra prædicta, quàm alijs Ecclesijs dictæ nostræ diœcesis habeantur, & singulis annis in Ecclesijs ubilibet legantur, & ab omnibus districtius obseruentur.

Primò igitur statuimus; *Vt omnes Clerici coronam & tonsuram habeant congruentem, & quilibet suo ordini competentem comam habeat: Barbam non nutriant: nec pelles eminentes circa collum extra vestes ferant. Item indumenta non nimia breuitate, vel longitudine, & in manicis non ni-*

H ij

mia am-

mia amplitudine notanda ferant; pannis etiam rubeis & viridibus, nec virgultis, nec vestibus retroscissis utantur.

¶ *Insuper statuimus; quòd tabernas omninò deuitent: à crapula & ebrietate abstineant, nec ad aequales haustus se vel alios incitent, incitando se obligent: Hoc quidem Statutum de visitatione tabernarum nolumus ad viatores, & ad peregrinos, extendi.*

¶ *Item: Ut ad aleas & ad taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint. Etiam ut plausus manuum more gentili, vel cantilenas seculares cantare non presumant; quia in vno ore Laudes CHRISTI, vna cum laudibus Iouis, non concordant.*

¶ *Item: Ut fibulas vel corrigias auri vel argenti ornatum habentes, aut aliam superfluitatem decoris non ferant; nec annulos, nisi quibus competit ex officio vel dignitate.*

¶ *Item: Ut nullus Clericorum in sacris ordinibus constitutus, suspectas mulieres secum habeat, vel eis cohabitent, & praesertim maritatas; Atq; quòd accessus suspectarum mulierum deuitent, & ab omni vitio libidinis se abstineant, & continenter viuant ac mundi.*

¶ *Item: Ut nullus Sacerdos, Diaconus, vel Subdiaconus, cirogia, aliàs cirologia artem exerceat, qua adustionem vel incisionem inducit. Nec sententiam sanguinis dictet aut proferat, aut sanguinis vindictam exerceat, nec intersit ubi exercetur; Nec etiam literas dictet vel scribat, pro sanguinis effusione destinandas: Ac omninò ne literas incendiarijs dictet vel scribat, aut ab ipsis receiptet, vel aliquomodo sibi presentatas ab eisdem incendiarijs exequatur.*

¶ *Praterea: Ut Clerici omninò arma non ferant; nec in fraudem aliorum cultellos nimia longitudine notandos & indecentes habeant, vel utantur.*

¶ *Item: Ut decimas alteri debitas non accipiant, nec de ipsis se intromittant. Insuper quòd predicatores verbi DEI sine diuini, suis in predicationibus ad vulgum proponant; Quòd*
nemo

nemo à solutione decimarum, quicumq; & cuiuscunq; conditionis extiterit, sit immunis vel liber: Necnon occupatores, impeditores violentos, seu fraudulentos decimarum detentores, & prohibentes decimas in villis suis, vel alijs locis quibuscunq; componi; & eos qui quamuis pro certa summa pecunia emerunt decimas, sed non per soluerunt, singulis diebus Dominicis, à tempore mensis Iulij, vsq; ad medium Augusti, denuncient excommunicatos, & excommunicent, ut in forma Ecclesie consueti.

¶ Item: Quod nullus accipiat Ecclesiam, vel aliud beneficiū, à manibus Laicorum, sub aliqua promissione vel pacto, quod non velit uti priuilegijs vel libertatibus ipsis beneficijs indultis & concessis: atq; quod damnatam Simoniacam prauitatem omninò effugiant, scientes, quod omnes Simoniaci sunt interdicti quo ad se, nec saluari possunt, nisi renuncient beneficio per Simoniam adepto, & sunt suspensi à diuinis.

¶ Item: Quod quilibet Presbyter ad diuinum officium secum habeat Clericum, qui tam diurnum pariter & nocturnum absq; sincopatione peragat, & ab extrinsecis colloctionibus vacet; atq; quod secundum ordinem Ecclesie Cathedralis, tam circa secreta Missæ, quàm in alijs officijs se conformet.

¶ Item: Quod in singulis Ecclesijs Sacramenta Eucharistia, Chrismatis & sacra Vnctionis, sub fideli custodia clauibus adhibitis conferuentur: Nec non singulis quoq; annis, Chrisma ab Ecclesia accipiatur Cathedrali, per illos qui sunt in sacris ordinibus constituti; & quod vetus Chrisma in Ecclesia concremetur.

¶ Item: Quod postquam vinum acescit, non ponatur ad consecrandum. Et ponatur multo plus de vino quàm de aqua in sacrificio consecrando: Atq; quod Presbyteri celebrantes omninò conficiant, ne populum idololatrare contingat. Insuper Presbyteri heginas vel alias mulieres procurari postulant, singulis septimanis non procurent Eucharistia sacramento; nisi constiterit quod confesse sint, & quod deuotio requirat hoc earundem.

¶ Item:

¶ Item: Corporalia fiant de tela subtili: Vasa totius ministerij, vt palla Altaris: Vestimenta ministrorum munda & nitida conseruentur, & specialiter in sacculis mundis & pulchris ponantur; Annis singulis & temporibus certis in Ecclesijs lauentur.

¶ Præterea vt omnes Ecclesia, quæ habent fontem Baptismalem, si nequeunt habere lapideum, habeant ligneum, ad officium Baptismi in longitudine & latitudine competenti. Atq; quòd singuli Sacerdotes Ecclesiarum Parochialium habeant librum pœnitentialem, vt si quando iusta de causa, pœnitentias & satisfactiones peccatori iniungant etiam obtemperent; sic tamen, quòd annuncient peccatori, quam grauem pœnitentiam agere deberet, secundum sanctorum Patrum instituta; ad hoc ne apud rudes omninò pœnitentia vilescat. Et quòd ita sollicitè officium in funeralibus pauperum celebrent, & in pœnitentijs eis iniungendis, sicut faciunt circa diuites & sublimes.

¶ Insuper quòd Presbyteri tempore Baptismi spontè oblati recipiant, sed penitus nihil extorqueant, sub pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ: Et quacung; hora portatur puer ad Baptismum, sine contradictione baptisetur. Et ita volumus intelligi de omnibus alijs Sacramentis Ecclesiasticis, CHRISTI fidelibus ministrandis.

¶ Item: Quòd in Festiuitatibus annunciandis per circulum Anni omnes concordent; ne ex diuersitate temporum scandalum in populo generetur: Excepta Dedicacione Ecclesiæ, & festo patroni ipsius Ecclesiæ. Et si feria secunda aliquod festum occurrerit celebrandum, quod habet vigiliam cum ieiunio sibi annexo, Sabbato præcedenti ieiunetur.

¶ Præterea quòd quilibet Rector Ecclesiæ Parochialis, ignorans linguam suorum Parochianorum, prouideat sibi de alio sufficienti & scienti linguam; ne populus negligatur: Alioquin si aliquid exinde mali euenerit, grauissimè punietur.

Insuper

Insuper quòd singulis temporibus *Quadragesima* nuncient populo, quòd quilibet postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua peccata solus, semel in anno suo proprio Sacerdoti confiteatur, reuerenter ad minus in Pascha Corpus Domini nostri **IHESV CHRISTI** suscipiat; nisi fortè ex causa rationali, vel de consilio proprij sui Sacerdotis prohibeatur. Et si fortè ex propria malicia vel temeritate abstinerit, viuus ab ingressu Ecclesie arceatur, donec satisfaciat; & mortuus Ecclesiastica careat sepultura.

¶ Item: Quòd quilibet Prædicator verbi diuini denunciât excommunicatos omnes & singulos, qui affirmant simplicem fornicationem non esse peccatum mortale: Et super his omnes Presbyteri & Clerici innigilent diligenter. Insuper si Sacerdos insufficiens fuerit peccatori in pœnitentia iniungenda, consilium requirat à peritiore, tacita omninò persona peccatoris siue confitentis: quam si alicui expresserit aliquo modo, sine spe restitutionis deponatur, & in Monasterio ad peragendum pœnitentiam recludatur.

¶ Præterea statuimus; quod quilibet Rector Ecclesie Parochialis prohibeat clandestina & occulta matrimonia fieri, & omninò prohibeat contrahere volentes, nisi primò fuerint denunciati & publicati, vt quicumq; sciat aliquod impedimentum legitimum, illud proponat infra terminum certũ præfigendum. Terminò vero lapsò, si nullus apparuerit contradictor, vel non constiterit de legitimo impedimento, tunc copulentur in **CHRISTIANI** nomine contrahentes.

¶ Item: Vt nullus Clericorum vel Presbyterorum plures Vicarias habeat, sed vnã tantum & perpetuam. Atq; quòd publica officia & sordida non assumant neq; exerceant in domibus Laicorum.

¶ Item: Nullus Religiosorum cuiuscunq; religionis ad Ecclesiam secularem deseruiat, vel sub aliqua occasione seu præ-

textu ibi diu moretur, Neq; Ecclesiam conducat, vel conueniat, spectantem ad regimen Presbyteri secularis.

¶ Item: Quod Rectores Ecclesiarum denuncient excommunicatos publice, à suis superioribus excommunicatos, & prout ipsis iniungitur ab eisdem sub pœna trium Marcarum: Sicut statuit Dominus Archiepiscopus, & ista pœna Synodalis.

¶ Insuper quod ijdem Rectores & omnes Sacerdotes, præfationes institutas, & non alias, in suis Missis obseruent; prout à sanctis Patribus est institutum.

¶ Item: Ne prætextu ignorantia in præmissis omnibus & singulis se quisquam valeat excusare; Præcipimus & mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna suspensionis ab officio, & nihilominus Synodali, iniungentes, ut vnusquisq; Archidiaconus & Archipresbyter nostræ Diœcesis, infra vnum mensem copiam præsentium Statutorum ab Ecclesia nostra recipiat, & eandem consocijs sedium suarum tradat, & per ipsos Archipresbyteros postmodum alijs Ecclesiarum Rectoribus sibi subditis, infra vnum mensem à data sibi copia præsentium Statutorum computando assignet: ita quod quilibet Rector Ecclesiæ, siue Plebanus, constitutiones easdẽ habeat in Ecclesia sua parieti affixas.

¶ Item: Non credatur deinceps pronunciantibus indulgentias concessas aut concedendas: nisi eis examinatis per Ordinarios, per cuius literas postea de hoc constabit.

¶ Item: Confessores in audiendo confessiones, non habeant acceptationem personarum pauperum & diuitum; sed qui primum venient, primò audiantur, nisi necessitas secus suaderet: nec quicquam exigant, aut confessiones quoquo modo perdant.

¶ Item. Quod nullus plura officiet Altaria, quàm officiare possit: præsertim quod tot Missæ legantur, quot in prima uæ foundatione sunt expressæ, vel de duobus officiantes sint contenti.

¶ Item. Quod quilibet Rector parochialium Ecclesiarum proprium sigillum habeat ipsius Ecclesiæ, quo ad executionem

manda-

mandatorum consignandam; & quòd processus & mandata diligenter exequantur. Insuper quòd pias voluntates personarum, testamenta atq; legata omninò non impediunt, etiam quo ad Altaria de nouo erigenda, vel alia beneficia de nouo creanda.

¶ Item. Quòd predicatorum tam seculares quàm Religiosi, discretionem habeant in pronunciando, ne tacenda proferant, aut proferenda reticeant, unde scandala in populo possint generari: & sibi inuicem non contradicant, diuersa, aduersa & omninò contraria predicantes.

¶ Item. Quòd nulli Sacerdotes & Parochialium Ecclesiarum Rectores, proprijs beneficijs derelictis, in quibus residere deberent, curam aliarum Ecclesiarum, vel beneficiorum gratia temporalis lucri sibi usurpent, & se Vicarios constituent & ministros in beneficijs alienis, cum vix vnum officium adimplere sufficiunt, stipendia sibi vendicent plurimorum: neq; quodlibet negotiationis genus exercent sub censu quocunq; contra Statuta & Canonicas sanctiones. Insuper quòd nullus duas vel tres Ecclesias regat: aut quòd duo vel tres vnã conueniant aut conducant.

¶ Insuper quòd nullus Rector Ecclesie Parochialis, de sua Ecclesia, absq; rationabili causa, & absq; nostra licentia speciali se absentare præsumat, nisi sit Canonicus nostræ Ecclesie, qui habeat Ecclesiam Parochialem; quem quo ad residentiam in nostra Ecclesia faciendam, volumus supportari à residentia sua Ecclesie Parochialis. Illis verò qui se de suis Ecclesijs, aut alijs beneficijs, residentiam requirentibus, absq; licentia nostra absentarunt, in virtute sanctæ obedientie precipimus, & mandamus sub pœna districtiùs Synodali, vt infra sex menses à publicatione presentium computandos, ad suas Ecclesias, vt eisdem debita præsent obsequia, reuertantur; alioquin infra annum, extunc inchoandum, eosdem absentes à perceptione pecuniarum seu beneficiorum, vel Ecclesiarum fructuum ipsorum, eo

ipso volumus penitus fore suspensos: ad quos si infra aliquod tempus propria temeritate, vel aliquo exquisito colore se ingesserint, illis similiter Ecclesijs sint ipso iure priuati. ¶ Insuper cum iuxta Canonicas sanctiones, vna Ecclesia vnus debeat esse Sacerdotis, presenti prohibemus edicto, ne de cetero aliquis duas, vel plures in nostra diœcesi habeat Ecclesias; nec duo vel plures vnam Ecclesiam, à nobis etiam abessendi licentia obtinentes, aliquo titulo colorato sibi quarant, vel quasitas retinere, in hac parte præsumpserint attentare: pecunias quas pro Ecclesia huiusmodi conductores Ecclesiarum ipsarum locatoribus dederint, aut dare promiserint, prorsus amittant illas; Extunc dandas ad Ecclesie nostræ fabricam, dictæ nostræ Ecclesie representandas, atq; in vsus dictæ nostræ Ecclesie fabricæ conuertendas.

¶ Præterea statuimus: Vt quicumq; nostra diœcesis, siue Laicus, siue Clericus, de cetero per annum in Excommunicationis sententia, per quemcumq; Ecclesiasticum iudicem in ipsum ritè prolata, contumaciter præsumpserit perdurare; ipsorum bona mobilia qua obtinent vniuersa, per Principes & potestates seculares, ad nostri tamen & Ecclesie requisitionem, debeant confiscari. Si vero Clericus sententiam Excommunicationis per annum sustinuerit animo pertinaci, fructu beneficiorum suorum, qua in nostra diœcesi obtinet, per eundem annum, quo in sententia perstiterit, ipso facto irrecuperabiliter sit priuatus: Quos verò fructus beneficiorum si forsit an consumpsit illo anno, tunc sequentis anni redditibus omnino careat; solâ sustentatione ipsi Clerico duntaxat ad nostrum vel nostri successoris arbitrium, de ipsis redditibus siue fructibus reseruata.

¶ Item: Vt omnes Archipresbyteri nostra diœcesis, & quilibet Sacerdos amodò quolibet anno, aut aliàs toties quoties fuerint vocati, veniant ad Synodum Episcopalem & diœcesanam, proxima Dominica post festum sanctæ Hedwigis annis singulis celebrandam; excepto eo anno, quo contingat Synodum prouincialem

provincialem celebrari. Et quicumq; non venerit, vel se legitime non excusauerit, infra quindenam tempore Synodi celebranda, tres Marcas argenti soluat pro pœna; quam si infra mensem tunc non soluerit, sit suspensus ab ingressu Ecclesiæ, quousq; satisfaciatur realiter cum effectu. Archipresbyteri verò suos Presbyteros absentes à Synodo, Archidiacono debent in scriptis annis singulis sub pœnis prædictis præsentare.

¶ Item: Nullus ex Clericis, peregrinis & aduenis, nisi habitis literis dimissorialibus & receptatorijs admittatur.

¶ Item: De interdictis, quæ per Rectores Ecclesiarum seruantur, etiam per Religiosos obseruentur.

¶ Item: Quòd visitantes infirmos cum Sacramentis, vel legentes Missas, non incedant in calopedibus. Et visitantes infirmos cum Sacramentis, ut præfertur, sequentibus indulgentias centum dierum à Domino Bonifacio concessas pronuncient.

¶ Item: Prædicent prædicatores verbi Dei, contra usurarios, & captantes indebita lucra; & signanter qui mutuant pecunias sine auctoritate superiorum, & sine literis census percipiunt, usura est.

¶ Item: Provideant visitatores deputandi circa exercentes sortilegia, contra febres ac infirmitates quascunq;, scribentes characteres, vel figuras, & nomina incognita, vel quascunq; alias superstitiones exercentes; & hæc vel similia circa homines & animalia exercentes.

¶ Item: Sanè didicimus, quomodo quidam Rectores siue Plebani Ecclesiarum nostre diœcesis, venientes ad se cursores, portitores nostrorum, Officialis nostri, & aliorum Iudicum nostre diœcesis, mandatorum, malè & inhonestè recusantes huiusmodi mandata exequi, nec non procurantes ipsos fustari, mergi, & alijs angustijs deordinatè tribulari, in vilipendium nobis & dictis iudicibus, iurata obedientia ommissa tractant: Nec non certi seculares eisdem ingressum ciuitatum & oppidorum prohibent.

Nos huiusmodi iniquitatis & prauitatis errorem ab eis semouere volentes tanquam merito; Præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, & districtius sub pœna Excommunicationis, & decem florenorum Hungaricorum, pro Camera nostrâ applicandorum; omnibus & singulis Ecclesiarum nostræ diœcesis Rectoribus, siue Plebanis, & eorum vices gerentibus, Altaristis, & Monasteriorum Religiosis, quatenus ipsi & eorum quilibet, quando cum nostris, nostri Officialis, & aliorum Iudicum nostræ Diœcesis, quibuscumq; mandatis in genere vel in specie, per cursores, seu nuncios nostros, aut eorum, requisiti fuerint, eosdem benigne acceptent, & acceptos piè tractent, & à quibuscumq; molestijs defendant: Huiusmodi nostra mandata, Officialis nostri, & aliorum Iudicum nostræ Diœcesis, cum diligentia, omni semota contradictione & tadio, fideliter exequantur. Et si utiq; non pateret tutus accessus ad loca illa, quibus illi excommunicandi seu citandi degunt; extunc decernimus, quod processus seu citationes in locis vicinis circumiacentibus, sine quauis contradictione exequantur, sub pœnis præscriptis.

¶ Item: Statuimus, decernimus, & ordinamus; quod omnes & singuli Prelati, ac præcipue Archidiaconi, & Archipresbyteri, omnium sedium nostræ diœcesis, omnes & singulos defectus, quorumcumq; occupatorum seu detentorum bonorum Ecclesiasticorum, captione, aut lesione personarum Ecclesiasticarum, coram nobis & nostro Clero, in hac Synodo, aut in posterum fienda, iuxta temporis opportunitatem, proponant, publicent, & manifestent: Cum tamen in denunciandis istis quamplurimum desides, consideramus & considerauimus, ac remissos: ut iuxta declarationem & decisionem huiusmodi ipsis iusticiæ complementum reddere valeamus, prout Deo dante pro posse nostro indubie faciemus.

¶ Item:

¶ Item. Ne homines spirituales & seculares nostra Diœcesis ad aliena loca, seu ad alienas diœceses vexentur, ad sumptusq; graues & inutiles, nec non ad periclitationem rerum & corporum, propter viarum & locorum varia discrimina deducantur; Statuimus & ordinamus, quòd nullus Presbyter, curatus & non curatus, aut Notarius publicus, mandata peregrina extra Diœcesin nostram emanata, sine mandato nostro, aut Vicarij nostri in spiritualibus, speciali acceptet, sine executionem eorundem procuret, seu in Ecclesijs affigi faciat: sed portatores huiusmodi mandatõrũ, & nuncios ad nos vel Vicarium nostrum in spiritualibus remittat cum effectu, sub pœna Synodali.

¶ Item. Quamuis perfidos Iudeos propria culpa perpetue seruituti submitit, pietas tamen Christiana eos receptat, & sustinet cohabitationem eorum; ingrati tamen nobis esse non debent, vt nobis illam retributionem impendant, quam iuxta vulgare prouerbium: Mus in pera; Serpens in gremio; Ignis in sinu; suis consueuerunt hospitibus exhibere. Et quoniam ipsi nonnunquam contra fidem Catholicam, detestabilia & inaudita, fideiq; contraria opera committunt; quibus etiam non competit Christi fideles interesse, ne indignationem & plagam DEI Omnipotentis incurrant. Idcirco præcipiendo mandamus, vt in post nullus Iudeus aliquam nutricem, seu familiam Christianam sibi seruientem teneat, sub pœna trium Marcarum argenti puri: ne filij libere famulentur ancillæ; cum mors CHRISTI Christianos liberos, illos autem illiberos effecit. Nullus autem Christianus ipsis seruiat, præsertim in domibus ipsorum; quoniam Iudeorum mores & nostri in nullo concordant: & ne ipsi ob continuam conuersationem & assiduam familiaritatem, ad suam superstitionem & perfidiam simplicium animos inclinent. Talem ergo familiaritatem cum eis habentibus,

tibus, & eis seruientibus, omnia Ecclesiastica interdican-
tur Sa-
cramenta.

¶ Item: Quia multi (pròb dolor) nostris modernis tempo-
ribus beneficia Ecclesiastica assumere non formidant, Iuris ordi-
ne non seruato, in scandalum multorum, & periculum anima-
rum suarum non modicum; Quare statuimus & ordinamus,
quòd in pòst nullus se de aliquo beneficio quouis modo intromit-
tat, nisi antè Crida siue proclamatio præmittatur, iuxta Iuris
communis dispositionem, sub pœna decem florenorum, irremissi-
biliter pro fisco Camera nostræ pagandorum.

¶ Item: Sanè didicimus: quomodo quidam Religiosi fal-
cem in messem alienam sepius mittere non formidant, in sepul-
turis, confessionibus, ac alijs forum Pastorum verorum concer-
nentibus, in præiudicium & iacturam non modicam verorum
Plebanorum & priorum. Propterea statuimus & ordinamus,
quòd in antea nullus Religiosorum cuiuscung, Religionis seu or-
dinis existat, non Curatus, aliquod funus ad sepeliendum reci-
piat & acceptet, vel exequias peragat, nec ad legendum trice-
simos circa se aliquem alliciat, aut ad eligendum sepulturam cir-
ca se, aut in monasterio suo aliquem inducat, sine scitu & vo-
luntate proprij Plebani, specialiter illa intumulandi, sub pœna
Excommunicationis, & decem florenorum fisco Camera nostræ
irremissibiliter soluendorum.

¶ Item: Statuimus, quòd inquisitores hæreticæ prauitatis
de hæresi diligenter inquirent, iuxta privilegia ipsis à iure
concessa, & ne de alijs criminibus, quæ ad correctionem ac emen-
dationem Ordinariorum pertinere dinoscuntur, se quouis modo
intromittere præsumant, sub pœna Excommunicationis, & de-
cem florenorum pro fisco Camera nostræ irremissibiliter assign-
nandorum: nisi ad emendandum siue corrigendum, tales per lo-
ci ordinarium fuerint deputati.

¶ Item:

¶ Item: Auribus nostræ audientia insonuit, qualiter nonnulli nostræ Diæcesis Clerici seculares & Religiosi, salutis propriæ immemores, homines sexus utriusq; causa lucri temporalis ad prophanos Idololatria cultus plurimū induxerunt & inducunt, signa fieri ab imaginibus suarum Ecclesiarum, Monasteriorum, siue Capellarum suarum Ecclesiarum domorum siue locorum, fingendo asserentes: in periculum & detrimentum animarum Christi fidelium non modicum. Quare dictis periculosus & enormibus defectibus obuiare, eosdemq; extirpare, eradicare, & pro possibilitate nostræ emendare volentes, prout ex officio nobis diuinitus credito & concesso tenemur & astringimur: Statuimus & ordinamus, quod in antea nullus Clericorum, tam secularium quàm Religiosorum, cuiuscung; status, gradus, dignitatis, seu eminentiæ existant, alicui imagini, seu figuræ, signa ascribat seu attribuat, nec ea in sermone, vel extrâ, denunciare, publicare, seu affirmare præsumat, sub pœna Excommunicationis, & decem florenorum fisco Camera nostræ irremissibiliter pagandorum: nisi talia, auditis & desuper examinatis fideliter testibus, ac alijs probationibus legitimis, per nos examinata, ratificata, & approbata fuerint, pariter & admissa. Alioquin contrâ facientes, toties quoties prædicta fecerint, dictis pœnis volumus subiacerè.

¶ Item: Percepimus, quomodo errores multiplices circa resignationem beneficiorum & permutationem eorundem occurrunt, utputa prauitas Simoniaca, aliq; dispositioni Iuris omninò contraria; Quare dictis defectibus obuiare, eosdemq; de medio tollere volentes, statuimus & ordinamus, quod in post nullus Clericorum, cuiuscung; status, gradus, conditionis, seu eminentiæ existat, aliquod beneficium Ecclesiasticum resignare, seu permutare in manibus patronorum seu personarum status cuiuscung;, quouismodo præsumat: nisi in manibus nostris, aut Vicarij nostri generalis, iuramenti q; ipsorum utrorumq; de cauenda fraude vel contractu illicito quocung; præmissis, sub pœna

decem florenorum fisco Camera nostræ applicandorum, ac irremissibiliter persolvendorum.

¶ Item: Statuimus, quòd casus Papales & Episcopales tradantur ad Synodum.

¶ Sciendum breuiter, pro quibus casibus ac pœnitentijs sit pœnitens ad Episcopum remittendus. Ad cuius rei memoriam euidentem, omisis difficultatibus, dico primo; Quòd pœnitentiarum alia est publica, alia est solennis, alia vero priuata.

Publica est, cum alicui iniungitur peregrinatio cum baculo cubitali & pera benedictis, vel aliquo genere vestis: Vel publicè pœnitere, est publicè coram populo, seu pro publico crimine pœnitentiam agere. Similitudinariè tamen potest dici publicè pœnitere, sicut & qui in propria domo pœnitentiam agit; & sicut qui propter delictum inuitus in Monasterium detruditur: hanc Sacerdos potest iniungere, cum non sit inhibitum, & non imponitur nisi pro graui crimine. Clericis talis pœnitentia non est imponenda, nisi depositis.

Solennis pœnitentia est, qua fit in capite Quadragesimali, qua omnes pœnitentes, qui publicam suscipiunt aut susceperunt pœnitentiam, ante fores se representant Episcopo ciuitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, se reos esse ipso etiam habitu & vultu protestantes: & ista imponitur à solo Episcopo. Et hæc pœnitentia imponitur pro homicidio, pro sacrilegio, pro incestu, & similibus grauibus horrendis casibus; pro filiorum oppressione: & breuiter pro omni graui crimine, totam urbem vel villam commouente. Hoc autem scias, quòd omnis solennis pœnitentia est publica; sed non è conuerso: Solennis tamen magis continet, scilicet solennitatem prædictam.

Priuata autem pœnitentia est, qua pro occultis peccatis imponitur, qua sunt Presbytero constituenda; & ab eo est pœnitentia iniungenda: Nisi in casibus qui sequuntur, in quibus sunt confitentes ad Episcopum remittendi.

¶ Et primò

- S** Et primò casus Episcopales hic sequuntur.
- S** Primò: Coiens cum moniali consecrata, vel virgine: vel non consecrata, vel mulier cum Religioso.
- Item: Verberans patrem vel matrem.
- Item: Destorans virginem vi oppressam, vel seductam.
- Item: Machinans in mortem coniugis.
- Item: Abutens Chrismate vel re sacra.
- Item: Furtum faciens in Ecclesia.
- Item: Clericus cuius negligentia furtum commissum fuit in Ecclesia.
- Item: Baptisans proprium puerum sine necessitate.
- Item: Proprium puerum ad Baptismum vel Confirmationem tenens sine necessitate.
- Item: Fractor voti.
- Item: Contrahens seu Religionem intrans inuita uxore post copulam consecutam.
- Item: Confessus se credidisse hereticam prauitatem, quo ad absolutionem a peccato.
- Item: Simoniacus, quo ad peccatum.
- Item: Excommunicatus celebrans solenniter in Ecclesia quo ad peccatum, sed quo ad irregularitatem ad Papam.
- Item: Clericus per saltum promotus.
- Item: Ordinatus ab alieno Episcopo, sine licentia proprii Episcopi.
- Item: Homicida factus verbo vel consensu, nisi se defendendo: vel in fure vim faciente occiso. Homicidæ autem aliqui mittuntur ab Episcopis ad Sedem Apostolicam, propter enormitatem criminis; ad contritionem habendam: non tamen de Iuris necessitate, sed de Episcoporum providentia & voluntate.
- Item: Coiens in Ecclesia, maximè consecrata.
- Item: Coiens cum Indæa, vel Sarracena.

Item: Concipiens filium, & non à suo viro, quem vir credens filium suum, instituit eum heredem in praeiudicium aliorum.

Item: Procurans abortum, vel sterilitatem, in se, vel in alio.

Item: Contrahens matrimonium cum alio post Sponsalia iuramento interposito.

Item: Scierenter celebrans in Ecclesia interdicta, quo ad absolutionem à peccato: sed quo ad dispensationem ab irregularitate mittendus est ad Papam.

Item: Sortilegus.

Item: Demones innocans pro furto, vel mulieribus, vel quocung, modo.

Item: Scierenter excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, manifestos usurarios, in Cæmeterijs aut Ecclesijs sepelientes: Et tales sepelientes etiam ipso facto excommunicati sunt.

Item: Clandestine, vel contra interdictum Ecclesiæ, matrimonium contrahentes.

Item: Blasphemator DEI & Sanctorum.

Item: Oppressor filiorum studiosè, violenter, vel negligenter.

Item: Pro sacrilegio.

Item: Pro incendijs.

Item: Periurus, qui precedente iuramento postea falsum dicit.

Item: Sodomita, & omnes qui fornicantur contra naturam, maximè cum brutis.

Item: Incestum faciens.

Item: Fornicans cum ea quam Baptisauit, vel confessionem audivit.

Item: Usurarius quo ad peccatum, & dispensationem.

Item;

Item: Celebrans in Altari non consecratò.

Item: Sine sacris indumentis.

Item: Non ieiunus.

Item: Pro ablatorum, subtractorum, illiciteq; acquisitionum restitutione, & extendatur duntaxat ad unum fertonem grossorum: sed infra non fiat remissio.

¶ Etiam diligenter notandum est: quòd in necessitatis articulo, in predictis casibus, & alijs, quicung; fuerint, etiam superioribus reservatis, potest Sacerdos simplex absolvere: pramisso tamen, quòd necessitatis articulo cessante, confitentes ad superiores, à quibus aliàs absolventi fuissent, remittantur.

¶ Insuper diligenter notandum est, quòd in casibus in quibus Episcopus habet potestatem absolventi, potest etiam is, cui ipse vices suas commiserit, suam iurisdictionem exercere; præterquam in quinq; casibus.

¶ Primus est: Vbi solennis pœnitentia est iniungenda, ut supra.

¶ Secundus est: Qui nec potest absolui ab excommunicatione in casu ubi excommunicat, nisi ei specialiter committatur.

¶ Tertius: Vbicung; inuenit irregularitatem contractam, tunc debet eum ad Episcopum remittere, ut dispenset cum eo, si potest, vel saltem cum suis literis illum remittat ad Papam.

¶ Quartus: In incendiarijs ante publicationem, secundum quosdam.

¶ Quintus: Si sit de consuetudine alicuius Diœcesis, quòd certa crimina Episcopo reservantur. Sed aduertendū est, quòd Episcopus generaliter delegando vices suas circa pœnitentiam imponendam, ac similia: non intelligitur tali delegasse potestatem dispensandi & absolventi ab excommunicatione, & receptiones iuramentorum, & restitutionem in integrum: nisi specialiter exprimat, cum ad ipsius Episcopi correctionem specialiter spectare

videatur; Et tunc ex causa legitima discreto viro, qui sciat rem & circumstantias negociorum, potest committere.

¶ Item notandum est: Quandocumq; aliqui ad confessionem de criminibus conueniunt, & quamuis confiteri velint, se tamen asserunt abstinere non posse; quid faciendum circa tales. Consultationi tali taliter respondemus: Quod confessores eorum confessiones recipere debent, & eis de criminibus consilium adhibere. Quia licet non sit huiusmodi vera pœnitentia: tamen admittenda est eorum confessio, & crebris & salubribus monitis est pœnitentia indicenda.

SEQUUNTUR CASVS PAPALES ANTIQUORVM IVRIVM: IN QVIBVS quis à solo Papa. absoluitur.

PRIMUS. Qui verberat Clericum: hic tamen casus habet in iure exceptiones.

¶ Secundus est de eo, qui incendit vel frangit Ecclesiam, vel locum Religiosum, seu cœmeterium; qui post denunciationem non nisi à Papa absoluitur: Et idem de quolibet incendiario, si denunciatur.

¶ Tertius. Quando Papa aliquem nominatim excommunicat, quem solus Papa absoluit; & sic solus participantes absoluit.

¶ Item: Presbyter secundas nuptias benedicens, licet non sit excommunicatus, tamen mittendus est ad Sedem Apostolicam; quia est à beneficio officioq; suspensus.

¶ Item: Falsificans literas Papales; vel scienter literis Papalibus falsis vtens.

¶ Item: Insequitor Cardinalium, qui incurrit multas & graues pœnas; de quo, de pœnis. c. Felicis. lib. VI.

¶ Item:

¶ Item: Illi mittuntur ad Sedem Apostolicam, qui occasione sententiæ Excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, latitant, licentia grauandi illos qui tulerunt eam, vel suis in personis, vel bonis. de sent: Excom. Quæcung. lib: VI.

¶ Item: Corpus alicuius defuncti incidentes, vel coquentes, pro ossibus transferendis, sunt excommunicati, & à Sede Apostolica absoluendi.

¶ Item: Inquisitores hereticorum, odio, vel gratia, amore, vel lucro, contra iusticiam vel conscientiam, omittentes contra quempiam procedere, vel contra ipsam hæresin: alicui imponentes iniuste quod impediatur officium suum: sunt excommunicati ipso facto, & à solo Papa absoluendi.

¶ Item: Religiosi qui sine licentia speciali proprii Sacerdotis, scilicet cuius est populus, solenniter aut ministrarent Sacramenta Eucharistia vel extreme Vnctionis, sunt excommunicati ipso facto, & à solo Papa absoluendi.

¶ Item: Similiter sunt excommunicati Religiosi, qui excommunicatos à Canone in casibus à Iure non concessis, aut à sententijs per Statuta Prouincialia seu Synodalia promulgatis, aliquem absoluerint à pœna & à culpa; Et à Papa tantum absoluendi.

¶ Item: Insequutor Episcoporum est excommunicatus, & à solo Papa absoluendus. Iuxta Cle. de sent: Excom.

¶ Item: Clerici religiosi inducentes aliquos ad vouendum, iurandum, vel promittendum, de eligendo apud eos sepulturam, vel iam electam, ulterius non immutent; sunt excommunicati ipso facto, & tantum per Sedem Apostolicam absoluendi.

¶ Item: Qui cogunt celebrare aliquem in loco interdicto, vel ad audiendum diuina vocant excommunicatos vel interdictos.

¶ Item: Qui prohibent talibus excommunicatis & interdictis, ne moniti exeant.

¶ Item:

Item: Tales excommunicati vel interdicti, si moniti non exeant, sunt excommunicati ipso facto, & à Sede Apostolica absoluedi.

Item: Illi etiam qui ferrum, equos, arma, vel alia necessaria, ad impugnandum Christianos deferunt, seu transmittunt, seu galeas aut naues vendunt; aut in Piratis nauibus Saracenorum gubernationem exercent, vel impendunt consilium vel auxilium ad dispendium Terra sancta: sunt excommunicati ipso facto, tantum absoluedi per Sedem Apostolicam, per Extrauagantem Clementis quinti, qua incipit; *Multa mentis.*

Item: Sciendum est, quòd quicumq; Curialis, qui facit vel recipit promissionem de aliqua re vel utilitate consequendi, vel obtinendi aliquam gratiam aut iusticiam apud Sedem Apostolicam, excommunicatus est ipso iure. De quo plenius habetur in Extrauaganti Bonifacij, qua incipit; *Excommunicamus.*

SE QV V N T V R

CANONES POENITENTIALES.

VT autem Sacerdos circa pœnitentias dispensando cautiùs arbitretur: Notandi sunt casus, in quibus per Canones certa pœna seu pœnitentiæ imponuntur: nam Canones Pœnitentiales tenetur scire Sacerdos, aliàs vix in eo nomen Sacerdotis constabit.

I Primus Canon dicit: Quòd si Presbyter fornicationem fecerit, pœnitentiam decem annorum facere debet; hoc modo: inclusus, sacco indutus, & humi prostratus, misericordiam DE I iugiter implorans, tribus mensibus continuis de vespera in vesperam, pane & aqua utatur, exceptis diebus Dominicis, & præcipue festiuitatibus, in quibus modico vino, pisciculis & legumimibus recreatur. Elapsis sic & finitis tribus mensibus, exeat de carcere,

de carcere, non tamen procedat in publicum, ne grex fidelis in eum scandalum patiat: per hoc apparet, quod loquitur de publico. Post hac reassumptis aliquantulum viribus, anno vno & dimidio in pane & aqua pœniteat: exceptis Dominicis & alijs præcipuis festis, in quibus vino & sagimine, ouis & caseo reficiatur. Finito sic primo anno & dimidio, particeps sit sanguinis DOMINI, & ad apicem & ad Psalmos cum alijs fratribus cantandos admittatur: in Choro tamen ad cornu Altaris non accedat, sed minorum ordinum tantum officia gerat. Deinde vsq; ad expletionem septimi anni, tres legitimas ferias, videlicet secundam, quartam & sextam, exceptis diebus Paschalibus, qui scilicet sunt quinquaginta, in pane & aqua ieiunet: tamen secundam feriam vno denario vel vno Psalterio potest redimere. Sed si sic septimum annum compleuerit, potest eum Episcopus ad gradum pristinum reuocare: ita tamen, quod in tribus annis subsequētib; omni feria sexta, nulla interueniente misericordia, in pane & aqua ieiunet.

¶ Sacerdoti etiam pro quolibet peccato, siue crimine quod depositionem inducit, est consimilis pœnitentia iniungenda.

¶ Canon secundus dicit: Quod Sacerdos cognoscens filiam suam spiritualem, scilicet quam baptisauit, vel confirmari fecit, vel in pœnitentia audiuit, pœnitentiam duodecim annorum agere debet; & si in publicum prodierit, est deponendus. Episcopus autem qui talia commiserit, quindecim annis pœniteat. Mulier verò religioni tradenda est, rebus suis pauperibus erogatis.

¶ Tertius. Si quis contra naturam peccauerit, & est Clericus, deponi debet, vel religioni tradi, si corrigibilis appareat, ad perpetuam pœnitentiam peragendam. Si Laicus, excommunicari, & a cœtu fidelium vsq; ad condignam satisfactionem fieri alienus; & hoc vitium maius est, quam si matrem quis cognosceret.

L

¶ Quartus.

¶ Quartus. Quòd Sacerdos qui interest clandestinis nuptijs, triennio suspenditur: & si culpa hoc exegerit, grauius puniatur.

¶ Quintus. Si quis excommunicatus celebrauerit, triennio pœnitere debet, à vino & carnibus abstinere.

¶ Sextus. Si quis votum simplex violauerit, tribus annis pœnitere debet.

¶ Septimus. Quòd qui alium iniuste accusat ad mortem, quadraginta dies in pane & aqua, per septem verò annos pœniteat, si accusatus occisus sit: & si membrum perdidit, per triennium.

¶ Octauus. Quòd quicumq; filiam spiritualement, vel commatrem suam cognoscit, per septem annos pœniteat, & ei consentientes similiter.

¶ Nonus. Quòd si quis desponsatam alij duxerit, eam dimittat, & quadraginta dies per septem annos in pane & aqua pœniteat.

¶ Decimus. Qui cognoscit duas commatres, vel sorores, siue uiuat uxor, siue non: ad minus septem annis pœniteat, licet plus deberet.

¶ Undecimus. Quòd homicida voluntarius sine spe restitutionis deponitur, & septem annis pœniteat.

¶ Duodecimus. Quòd casualis homicida per quinq; annos pœniteat.

¶ Tredecimus. Quòd si factum fuit propter necessitatem inuitabilem, per duos annos debet pœnitere: licet si esset inuitabilis, in nullo imputaretur sibi: quod verum est, quo ad peccatum: sed quo ad cautelam & innocentiam suam Ecclesie ostendendam, bonum est pœnitere. Sed si quis per insaniam committat homicidium, non imputatur ei: Qui uero etiam intuitu disciplinae incaute percutiendo occidit, deponitur.

¶ Quartus de-

¶ Quartusdecimus. Quod matricida per decem annos pœniteat, secundum formam satis asperè traditam. Vxoricide autem imponitur maior pœnitentia: talis enim & qui Dominum occidit, nunquam equitet, nec vehiculo deportetur. Quare dixit Hugo: quod maius peccatum est vxoricidium, quam matricidium, cum grauius puniatur. Alij contra: Sed ideo maior pœnitentia imponitur, quia promptiores sunt homines ad occidendas vxores, quam matres.

¶ Quintusdecimus. Quod periurus quadraginta diebus in pane & aqua, per septem annos pœniteat: & semper debet esse in pœnitentia scilicet interiori.

¶ Sextusdecimus. In falsa mensura, est triginta dierum in pane & aqua pœnitentia imponenda.

¶ Septimusdecimus. Si quis sollemniter pœnituit, & postea redijt ad vomitum: decem annis pœniteat.

¶ Decimus octauus. Qui deuotam vel monialem cognoscit, decem annis pœniteat: & ipsa similiter pœnitentiam agat, secundum formam traditam.

¶ Decimus nonus. Qui cantat Missam, & non communicat, annum pœnitere debet: & interim à celebratione Missæ cessare.

¶ Vigésimus. Qui mortuum Clericum inuoluit in palla Altaris, decem annis, & quinq; mensibus pœniteat: Diaconus verò triennio, & dimidio, siue sex mensibus.

¶ Vigésimus primus. Qui committit sacrilegium violando Ecclesiam vel Chrisma, seu Calicem sacrum pollutis manibus accipit, vel similia committit, annis septem pœniteat: In duobus primis non intret Ecclesiam, & vsq; ad quartum non offerat: & tribus diebus in hebdomada à carnibus & vino abstineat ieiunando. Et alia consideranda sunt, sicut de hoc plenius inuenitur in Iure.

¶ Vigésimus secundus. Si parentes frangunt sponsalia filiorum, triennio separantur à communione: & filij similiter si in culpa

sint. Sed si filij secundum promissionem factam contraxerint, excusantur uterq³, quo ad pœnam Ecclesiæ intelligas, non quo ad reatum; ex quo dederunt operam in contrarium.

¶ Vigessimus tertius. Qui duxit in matrimonium quam poluit per adulterium, quinq³ annis pœniteat.

¶ Vigessimus quartus. Quod maledicus contra DEVM, vel aliquem Sanctorum suorum, linguam publicè relaxans in blasphemiam: debet agere pœnitentiam per septem hebdomadas.

¶ Vigessimus quintus. In Sacerdote denudante illum qui confessus est verbo vel signo.

¶ Vigessimus sextus. Qui compulsus conditionaliter periurat, si liber sit, quadraginta diebus per septem annos pœniteat: Si seruus sit, tribus annis.

¶ Vigessimus septimus. Qui periurat in manibus Episcopi in Ecclesia sacrata, tribus annis: qui in non consecrata, vno anno pœniteat: qui coactus & per ignorantiam, ieiunet tribus quadragesimis.

¶ Vigessimus octauus. Qui scienter falsum iurat, vel alium iurare compellit: duodecim annis pœniteat.

¶ Vigessimus nonus. Qui in dicendis Horis Canonicis, & alijs officijs diuinis, à consuetudine Metropolitanæ propriæ Ecclesiæ discrepat, sex mensibus communionem priuetur, si ex contemptu hoc accidit.

¶ Tricesimus. Episcopus qui ordinat sine iusta causa Clericum inuitum, penitus inuitum, vel absolutè, anno suspenditur.

¶ Tricesimus primus. Episcopus qui correctionem de venditione ministeriorum dissimulat, duobus mensibus: Sacerdos quatuor: Diaconi, & ceteri ad arbitrium Iudicis pœniteant.

¶ Tricesimus secundus. Sortilegus quadraginta diebus pœniteat.

¶ Tricesimus

¶ Tricesimus tertius. Qui videt in Astrolabio futura, duobus annis pœniteat.

¶ Tricesimus quartus. Si per negligentiam aliquid de sanguine stillauerit in terram, id est, tabulam terra adhaerentem, lingua lambatur, & tabula radatur: si non fuerit tabula, locus corrodatur cauando, & comburatur, & cinis iuxta Altare condatur; & Sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si super Altare stillauerit Calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus pœniteat: Si super linteum Altaris, & ad aliud stilla peruenierit, septem diebus pœniteat; & linteamina qua tetigerunt stillam, tribus vicibus minister abluat Calice subterposito, & aqua ablutionis sumatur, vel iuxta Altare condatur, scilicet si sine abominatione sumi non potest.

¶ Tricesimus quintus. Si quis propter ebrietatem vel voracitatem Eucharistiam euouerit, si Laicus sit, quadraginta diebus: Clericus autem septuaginta diebus: Episcopus nonaginta diebus pœniteat: si propter infirmitatem hoc accadat, septem diebus.

¶ Tricesimus sextus. Qui Presbyterum interfecerit, duodecim annis pœniteat.

¶ Tricesimus septimus. Qui domum vel aream voluntarie succendit, sublata vel incensa omnia restituat, & tribus annis pœniteat. Canon tamen dicit, quod si ex odio vel pro vindicta hoc fecerit, excommunicari debet, nec absoluat, quousque satisfecerit. Pœnitentia autem imponitur, ut Hierosolymam vel in Hispaniam ad sanctum Iacobum vadat, in DEI seruitio per annum moraturus. Si quis Archiepiscopus vel Episcopus hoc relaxauerit, damnum restituat, & per annum ab officio Episcopali abstineat. Hodie postquam denunciati sunt, non possunt absolui citra Sedem Apostolicam.

¶ Tricesimus octauus. Qui communicat ignoranter heretico, vno anno pœniteat: qui scienter, quinq; annis. Qui per-

mittit hereticum cantare Missam ignoranter, quadraginta dies: si pro reuerentia eius, per annum: Si in subuersionem fidei, tanquam hereticus damnatur.

¶ *Tricesimus nonus.* Qui ignoranter cognoscit duas sorores, vel matrem & filiam, vel amicam vel neptem: septem annis pœniteat: Si scienter, perpetuò careat coniugio.

¶ *Quadragesimus.* Qui cum brutis coierit, plus quàm per septem annos pœniteat. Idem de incestu.

¶ *Quadragesimus primus.* Patronus qui res Ecclesia dilapidat, anno pœniteat.

¶ *Quadragesimus secundus.* Qui lustrat domum suam Magicis & incantatoribus, quinq; annis pœniteat.

¶ *Quadragesimus tertius.* Si quis comedat Corpus Christi, Sacerdos quadraginta diebus pœniteat: Si perdidit, triginta dies. Si incautè dimisit, quamuis nihil nefandi inde acciderit, tribus mensibus ab officio suspendatur.

¶ *Quadragesimus quartus.* Qui iurat non facere pacem cum proximo suo, vno anno pœniteat: & ad pacem redeat.

¶ *Quadragesimus quintus.* Pro periurio, adulterio & homicidio, dantur regulariter septem anni. Idem pro fornicatione, licet non ita aspera pœnitentia iniungatur.

¶ *Quadragesimus sextus.* Qui scienter rebaptisatur, septem annis pœniteat, faciendo tres quadragesimas, & feria quarta & sexta in pane & aqua ieiunando: si pro vicio heresis hoc fecerit. Si autem pro immundicia, id est, pro salute corporis obtinenda, tribus annis pœniteat. Cum discretionem autem iniungatur pœnitentia, & prescripti Canones moderentur, cum hodie sint arbitrarij. Prouiso tamen, quòd circa pœnitentias imponendas in casibus suprascriptis, prout de Iure fieri poterit, huiusmodi pœnitentiae augeantur & minuantur, pensatis singulis circumstantijs, & habito respectu ad contritionem & lachrymas confitentis. Et sciendum, quòd secundum Leonem Papam,

nemo


nemo desperare debet, dum adhuc est in corpore constitutus: quia nonnunquam quod diffidentia etatis differtur, consilio maturiori perficitur. de pœni. dif. VII. c. 1. Hoc exemplum habes in Latrone, cuius etsi serâ fuerit pœnitentia, perfectâ tamen & accelerata fuit indulgentia. Tanta enim posset esse contritio, quòd sufficeret ad omnem pœnam delendam: ita quòd talis anima, nec per Purgatorium transiret, sed ad patriam conuolaret. Verùm quidem hoc periculosum, rarum, & incertum est nobis.

¶ Item didicimus: Quomodo quidam Ecclesiarum Rectores, ac Monasteriorum nostræ Diœcesis tam seculares quàm Religiosi, honestati Clericali, ac cultui diuino minimè intendentes, ludos in lutinis, tubis & clamoribus excitare præsumunt: populum, plus propter lucrum & vanam gloriam, ad audiendum diuina congregatum, in Misis solennibus, aut votiuus prouocant, quàm ad laudem & honorem DEI. Cùm verò in Ecclesia non alia, nisi quæ honestatem & deuotionem introducere videantur, exerceri debent: Quare statuimus & ordinamus, quòd nullus Ecclesiarum, tam secularis quàm Religiosus Rector, sine Plebanus, & præsertim Monasteriorum, & nostræ Diœcesis, in antea quouis modo de talibus Misis votiuus aut solennibus nuncupatis, indiscretis, ac honestati Clericali contrarijs, & derogantibus attentare præsumat, sub pœna Excommunicationis, & decem florenorum fisco Camera nostræ irremissibiliter applicandorum.

¶ Item intelleximus: quomodo plura Altaria, ceteraq; beneficia in nostrâ Diœcesi, per negligentiam & incurabilitatem Ministrorum succumbunt ac pereunt, & signanter per alienationem ac amissionem monumentorum eorundem & priuilegiarum. Huiusmodi igitur defectibus obuiare volentes, vt tenemur, Statuimus & ordinamus, quòd in antea nullus Clericorum nostræ Diœcesis, monumenta, incorporaciones, priuilegia seu instrumenta beneficiorum, seu Altarium suorum, quouis modo

quouis modo apud se retineat, sed ea ad sacras ades sub fideli custodia infra unum mensem reponat, & presentare procuret, sub Excommunicationis & decem florenorum pœnis, persolvendorum ac irremissibiliter fisco Camera nostræ applicandorum.

¶ Item didicimus, Quomodo Predicatores verbi diuini nostræ Diœcesis in Ecclesia publicè exorbitare non formidantes, factis secularibus ad forumulare spectantes se intromittentes & immiscendo: propter quod statuimus & ordinamus, quòd de cetero & inantea nullus Predicatorum verbi diuini, emptiones & venditiones domorum, vaccarum ac animalium, ceterarumq; rerum quarumcung, denunciare præsumat, sub Excommunicationis, & decem florenorum pœnis, fisco Camera nostræ persolvendorum.



SVB ANNO NATIVITATIS DOMINI, M. CCCC. XLVI.

Pontificatus sanctissimi in CHRISTO Patris & Domini, Domini **EVGENII** diuina prouidentia Pape quartii, Anno eius sedecimo. Reuerendo in Christo patre & domino, domino **CONRADO** Dei gratia Episcopo VVratislauieñ. Synodum à festo sancti Urbani, vsq; ad octauam beati Iohannis Baptistæ celebrante: Venerabilis vir dominus Henricus Rorav, Custos, Canonicus & Officialis VVratislauieñ. nec non dicti Reuerendi patris, domini **CONRADI** Episcopi VVratislauieñ. Vicarius in spiritualibus generalis, dictæq; Synodi promotor: vnà cum scientifico viro, Magistro Balthasar Rectore scholarum Ecclesiæ VVratislauieñ. de mandato eiusdem domini **CONRADI** Episcopi VVratislauieñ. generali, præsentia Statuta pro correctione & morum reformatione, nec non Cleri defectuum, aliqua comportarunt de antiquis eisdem adiungentes: Quæ omnia Reuerendus in Christo pater & dominus, dominus **CONRADVS** Episcopus

Episcopus VVratislauicn̄. supradictus, vnà cum Clero suæ Diocesis ad Synodum congregato, acceptauit, roborauit, & confirmauit, eis suam ordinariam auctoritatem interponendo pariter & decretum. Acta sunt hæc Anno & Pontificatu prædictis: Indictione nona: Die Veneris, prima mensis Iulij: Hora quasi primarum, in alba stuba Curia Episcopalis VVratislauien. Præsentibus ibidem honorabilibus & discretis viris, dominis, Iohanne de VVolauia, Plebano apud sanctam Elisabeth: Petro VVartinberg Subcustode: Ioachim Mansionario maioris: Casparo Lehener Mansionario Cryptæ Collegiæ sanctæ Crucis: Iacobo Baringer Prædicatore verbi DEI beatæ Mariæ Magdalena V Vratislauicn̄. Martino Sandberg Plebano in Stynauia Ecclesiarum, & Iohanne VVeynrich Notario publico: ac copiosa multitudine Cleri congregata, testibus ad præmissa vocatis pariter & rogatis. Originale in hoc finali loco continebat suscriptiones trium Notariorum publicorum, qui præmissæ Synodo interfuerunt, ipsa Statuta conscripserunt, & in formam publicam redegerunt:

quorum nomina breuitatis intuitu
prætermittuntur.

M STATUTA

STATVTA SYNODALIA
DOMINI PETRI
EPISCOPI VVRATIS-
LAVIENSIS.

De maioritate & obedientia.



Quam grata, quam fauorabilis, quam suavis, quam amabilis, quam acceptabilis sit erga matrem affectio filialis: Quam verò execrabilis, damnata, scelestissima, sanissima, maledicta, atq; pœnalibus exterminanda supplicijs, irreuerentia filiorum ad matrem: multis docemur exemplis. Et licet multa filios ad maternæ reuerentiæ obseruationem efficaciter exhortentur: nonnulla tamen persona Ecclesiastica, quæ Ecclesiam tanquam matrem, & eius bona tueri, honorare & defensare tenentur: dum sibi quietem & honorificentiam venantur in fauorem secularium, matrem suam vnde tuitionem recipiunt, persequuntur: ita ut iam non filij, sed fratres & collega ipsorum, quibus dicitur, Vos ex patre diabolo estis: appellari mereantur. Nos itaq; hanc insolentiam exterminare affectantes, præsentî decreto statuimus: Vt nulla Ecclesiastica persona, exempta, vel non exempta, cuiuscunq; status, gradus, aut dignitatis existat, alicui Laico cuiuscunq; præeminentia aut conditionis existat, contra Ecclesias, Ecclesiasticasquæ personas, & eorum bona, quòminus ea liberè & quietè possidere, & immunitatibus Ecclesiasticis gaudere

gaudere valeant: consilium, auxilium, vel fauorem, directè vel indirectè, publicè vel occultè, aut quouis quæsito ingenio, aut colore sinistro, legitimis causis non occurrentibus, impendere præsumat aut condonare. Si quis autem fama sua prodigus, & proprij persecutor honoris, contra tam salubre Statutum venire præsumperit, ultra pœnam Synodalem ab ipso irremissibiliter exigendam, Excommunicationis sententiam incidat ipso factò: cuius absolutionem nobis specialiter reseruamus.

¶ Volumus etiam, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus: vt omnes Clerici nostræ Diœcesis, tam nostros, quàm Officialis nostri, & aliorum Iudicum Ecclesiasticorum nostræ Diœcesis, Processus quoscunq;, siue mandata, contra quascunq; personas, siue ex officio nobili, siue mercenario, edita & decreta, veneranter suscipiant, & debita executioni demandent, vt tenentur: Nuncios verò siue tabellarios eorundem mandatorum, consuetis fauoribus pertractent: eosq; ne per manus sinistras apprehendi, & in eorum agendis impediri, offendi, & periclitari valeant, quomodolibet aut tardari: sub umbra silentij, absq; omni dolo & fraude, saluos recedere faciant & procurent: sub pœna decem florenorum nobis ad Cameram nostram persoluentorum.

¶ Insuper volumus & mandamus, quatenus nullus nostræ Diœcesis Clericus, cuiuscunq; status, gradus, aut conditionis, mandata peregrina, siue nostro, aut nostri in spiritualibus Vicarij mandato & licentia speciali acceptet, executionem eorundem per se, vel interpositas personas faciat, aut fieri procuret, seu in Ecclesijs suis affigi permittat: Sed nuncios dictorum mandatorum, & portatores, ad nos, vel nostrum in spiritualibus Vicarium, remittat cum effectu: sub pœna Synodali à contrà facientibus strictissimè exigenda.

De foro competenti.

Pastoralis sollicitudinis studio iugiter inuigilare conuenit, ne quisquam per vexationes & afflictiones indebitas proximum opprimere permittat: Sicq; iusticia ordine debito ministratur, ut & uiris dolosis auferatur nocendi licentia, & ne quies & tranquillitas rectorum facile perturbetur. Inoluerunt enim hæcenus intolerabilium vexationum abusus permulti, dum nimium frequenter, & præsertim à remotis finibus nostræ Diæcesis, interdum in causis prophanis & merè secularibus, interdum in causis feudilibus, interdum propter cessiones imaginarias & simulatas: interdum in causis, non solum alibi in Iudicium deductis, verumetiam calculo definitiua sententiæ extinctis, quàm plurimum ad nostrum Vratislauen. Consistorium, & Iudices commissarios, nostræ Diæcesis, citari & euocari consueuerunt, atq; ita expensis & laboribus fatigari. Et nonnunquam commodius arbitrantur, vexationem suam graui damno redimere, quàm sit litium subire dispendia, unde Iurisdictiones perturbantur, & odia ac rancores grauiter suscitantur: Nos itaq; tanti abusus habenas constringere cupientes: insuper statuimus & ordinamus, quatenus deinceps nullus Clericus, cuiuscunq; status, gradus, aut conditionis existat, huiusmodi causas, aut aliquam ipsarum in se suscipere, nec coram quocunq; iudice Ecclesiastico nostræ Diæcesis, mouere, aut suscitare præsumat. Alioquin contrarium facientes ultra condemnationem expensarum, pœnam decem florenorum Hungaricalium: Procurator uerò qui onus procurationis in iamdictis causis assumerit, & in eis, aut aliqua ipsarum postulauerit, aut procurauerit, quinq; florenorum pœnam se nouerit incurrissè: nobis ab eisdem, & quolibet ipsorum, ad Cameram nostram irremissibiliter persoluentorum.

De vita

De vita & honestate Clericorum.

Quoniam qui abiectis vestibus proprio congruentibus ordi-
ni, alias sumere & in publico portare presumat, Professo-
ris ordinis illius prerogativa se reddit indignum: hac nostra Con-
stitutione sancimus, ut omnes & singuli, tam Religiosi quam
seculares Clerici, Curati & non Curati, cuiuscumque status, ordinis,
gradus, aut conditionis existant, aut quacumque splendeant digni-
tate, iuxta suarum dignitatum, statuum, ordinum, & gra-
duum exigentiam, habitum proprium, & tonsuram ac coro-
nam Clericalem, & vestes mediocritatis, obediendo Canonibus
deferant. Virgatis quoque & partitis, aut scacatis vestibus,
fibulas vel corrigias auri vel argenti habentes, aut pannos ru-
bei aut viridis coloris, nec non quadraturis in ora vestimenti
circumferentialiter & ad apparentiam consutis non utentur:
nisi in premisis, aut aliquo premissorum per rationabilem cau-
sam poterint excusari, ut sic per dicentiam habitus extrinseci,
morum intrinsicam valeant ostendere honestatem. Contra-
rium facientes, ultra penas suspensionis & inhabilitatis huius-
modi mandati transgressoribus, & signanter Religiosis, à Iure
communi inflictas, penam Synodalem se noverint incurrisse,
nobis ad Cameram nostram irremissibiliter per solvendam.

I Volumus etiam, ut à crapula & ebrietate abstineant.
Nec Tabernatorum, aut Carnificum officium exercent. Aut
de commercijs, mercantijs, & negocijs quibuscumque, vel officijs
secularibus Clericali honestati non convenientibus se intromite-
re audeant. Nec comam, aut barbam nutriant. Nec arma
offendendi animo deferant: aut tabernas frequentare presu-
mant. Aleas vero & taxillos penitus non ludant, nec huius-
modi & alijs ludis theatralibus ad vanitatem introductis, aut
in sorte constitutis intersint: Sed in omni modestia, honestate,

M ij & timore

& timore DEI, cum viris timoratis suas habeant conuersationes. Missas & alia diuina officia in Ecclesijs suis deuotè peragant. Ac in omnibus sic Clericaliter uiuant: ut uita, doctrina, & exemplo, alios ad benè uiuendum prouocent & inducant: pœnis sub præmissis, & alijs grauioribus, iuxta qualitatem & magnitudinem delicti, à delinquentibus nostro officio acerrimè exigendis.

De cohabitatione Clericorū & mulierum.

Quoniam id quod à Prælatiſ & Clericis quibuscunq; agitur, à subditis facillè trahitur in exemplum. Vt igitur Clericorum mores reformare, & incontinentiæ uitium tanquam maius, (quia prò pudor cōmuni) eliminare ualeamus: hac nostra Constitutione irrefragabiliter ordinamus: quatenus omnes Clerici, cuiuscunq; status, dignitatis, ordinis, aut conditionis existant, concubinas siue focarias, aut alias mulieres quascunq; de incontinentia suspectas, quas secum in dote & domibus proprijs, aut alienis, tenent, fouent, & habent, reijciant & desistant, ac eas à domibus proprijs & aliorum penitus dimittant: nec eis amplius conuersari, aut eas accedere præsumant, ut sic à concubinitate scelerata fœditate purgati, in Domo DOMINI dignè ualeant famulari: sub pœna decem florenorum nobis ad Cameram nostram irremissibiliter persoluentorum.

De Institutionibus.

Fama referente accepimus, quomodo nonnulli Clerici, maxime peregrini, de quorum Sacerdotio, uita & moribus nemi- ni constat, non per uerum institutionis ostium, sed aliunde tanquam fures & latrones, plures Ecclesias & beneficia Ecclesiastica nostræ Diœcesis, cura & regimine animarum, à nobis
aut no-

aut nostro in spiritualibus Vicario non obtenta intrant, Administrationes de manu Laici recipiunt, & iam receptas tenent, sicq; in vestimentis ouium, lupi rapaces, intrantes ouile, non ut gregem dominicum solatio reficiant, sed potius ut sua auiditatis ingluuie de lana ouium valeant satiari: seq; de confessionibus, absolutionibus, & alijs qua sunt de cura animarum, intrmittunt: Vnde simplices homines decipiuntur, periclitantur anima, & per sepe Idololatria ac multa scelestissima scelera, diuinam Maiestatem offendentia committuntur. Ne igitur tam periculosa calliditas per impunitatis licentiam fortius inualescat, presenti Constitutione statuimus & ordinamus: quatenus omnes & singuli Archipresbyteri in suis sedibus, omnes Clericos beneficiatos, & praesertim curam habentes animarum, nostra auctoritate ad se euocent, de ipsorum sacerdotio, praesentationibus, institutionibus, & praecipue de cura & regimine animarum, informationem sufficientem ab eisdem, & quolibet ipsorum recepturi. Et si quos non Sacerdotes, vel alias iniuste vel dolose in pasturam ouium intrasse reppererint, mox detineant, & detineri faciant, nobis aut nostro in spiritualibus Vicario ulterius ad Curiam nostram Vratislauen. transmittendos: Inuocato etiam ad hoc si opus fuerit brachio seculari, quos tanquam animarum seductores ita castigare curabimus, ut exemplo eorum addiscant ceteri, a talibus versutijs & actibus scandalosis abstinere.

De rebus Ecclesiae non alienandis.

Quoniam nonnulli Clerici nostra Diocesis, census & proventus suorum beneficiorum in usus prophanos dispergunt: & dum census sub reemptionis clausula comparati, reemuntur, pecunias

cumias capitales ad se recipiunt, dilapidant & consumunt. Plures etiam ex pacto iniquitatis, quo Ecclesias & beneficia sua intrant, Patronis ipsorum indulgent, ut certos census ab eorum beneficijs distrahant, & in usus suos beneplacitos conuertant, in animarum suarum graue periculum, & beneficiorum Ecclesiasticorum dispendia & grauamen, vnde plura beneficia tanquam exhausta, inania & euiscerata depereunt, & quasi exulantia à memoria hominum in terram obliuionis relegantur. Nos verò, qui diuinum cultum nostris temporibus diligimus adaugeri: tanta malicie viam praecludere, & tam iacturosos dispendijs occurrere cupientes: insuper statuimus & ordinamus, quatenus tam nostrae maioris, quam aliarum Collegiarum Ecclesiarum Praelati, Canonici, Vicarij, Mansionarij, Altarista, nec non Clerici beneficiati, Curati & non Curati, vniuersi & singuli, per nostram Vratislauien. Diocesin vbilibet constituti, omnia Priuilegia, sub quocung, tenore verborum, & quacung, autoritate data, indulta & concessa, seorsum, & in vna charta, nec non omnes & singulos census, redditus, decimas & prouentus, vbi & in quibus villis, vel locis, & quibuscung, rebus, seu decimis consistant, ad ipsos & eorum dignitates, personatus, canonicatus, praebendas, officia & beneficia curata & non curata ad Capellas, sive Altaria, in limitibus Ecclesiarum suarum existentes, tam communiter & Collegialiter, quam seorsum & diuisim & singulariter spectantes & spectantia: Nec non libros, calices, ornamenta, & alia clenodia Ecclesiastica, similiter in alia charta sigillatim determinata, & iuxta originales foundationes, erectiones, institutiones, incorporaciones, & priuilegialium ac aliarum quaruncung, literarum censualium, tam sub hereditario, quam sub reemptione, & alijs quibuscung, titulis datarum, continentias & tenores fideliter conscribant: & quilibet seorsum pro suo interesse sub proprijs expensis conscribat, & conscribi faciat, & conscripta infra duorum mensium spacium, à die

à die præsentis Synodi continuè & immediatè sequente, de præbendis, dignitatibus & beneficijs quibuscung, in nostra VVratislauien. & alijs Collegiatis Ecclesijs, Præposito & Decano, aut in eorum absentia immediatè duobus Prælati: de beneficijs verò extra easdem Collegiatis Ecclesias constitutis, Archipresbyteris sedium, dent, tradant, præsentent: & quilibet eorum det, tradat, & præsentet integrè & cum effectu: nobis, quatenus apud nostram VVratislauien. Ecclesiam, tanquam Matrem reponi, & fideliter conseruari valeant, vltèrius transmittenda. Ne per ampliùs ipsi, aut ipsorum aliqui fraudibus tam subdolis in executionem, dissipationem, dilapidationem, & fundamentalem destructionem, priuilegiorum, censuum, reddituum, & aliorum bonorum Ecclesiasticorum, machinari: sed potiùs hæc omnia præmissa auscultatione originalium per Decreti nostri interpositionem conseruari valeant & adaugeri. Alioquin spacio duorum mensium decurso, si secus fecerint, vltra pœnam Synodalem, quam contra facientes incurrere volumus ipso facto, ad alias pœnas quantum de Iure poterimus procedemus.

¶ Volumus etiam, quatenus ipsi & quilibet ipsorum, census, redditus, & proventus, suis beneficijs non incorporatos, ac beneficia quæcung, in nostra Diœcesi de nouo erecta & fundata, nedum per nos confirmata, infra vnius mensis spacium, à die præsentis Synodi, incorporari & confirmari disponant cum effectu: ne ex eorum desidiosa negligentia, dicta beneficia non confirmata, & census non incorporatos, tractu temporis aboleri, minui, contingat & fraudari. Alioquin si secus fecerint, ex tunc dicto termino decurso, ipsos & quemlibet ipsorum, spiritualium bonorum laniatores & destructores animaduersione condigna castigare curabimus, censura qua conuenit Ecclesiastica mediante.

N De Testa-

De Testamentis & vltimis voluntatibus.

Volumus etiam, vt tam nostra Maioris, quàm etiam aliarum Ecclesiarum Collegiatarum Prælati, Canonici, Custodes, Subcustodes, Vicarij, Præcentores, Mansionarij, nec non Clerici habentes beneficia Ecclesiastica, Curata, & non Curata, per nostram Dioccesin vbilibet constituti, omnes & singuli, & singulariter vnusquisq; de beneficio suo Ecclesiastico, etiamsi dignitas aut personatus fuerit, dum modò tamen in taxa communi ad valorem annuum decem Marcarum, vel vltra, se extenderit, vnum florenum Hungaricalem: si autem in taxa communi ad quinq; Marcas, vel vltra, non tamen ad decem Marcas se extenderit, annuatim vnum medium florenum: Si verò Mansionaria, Altare, aut aliud beneficium vel officium fuerit, quod ad quinq; Marcas in taxa communi se non extendat, vnum fertonem in suo Testamento testari, donare, & assignare debeat & teneatur. Alioquin si testator, beneficium seu beneficia, personatus & dignitates, si quod vel qua habet, tacitus in suo testamento præterierit, extunc dictum Testamentum, si sic dici meretur, viribus euacuamus, volentes ipsum intestatum decessisse, atq; id nullius esse roboris vel momenti. Si autem intestatus decesserit, extunc de omnibus per eum derelictis, pro quolibet beneficio, quod tempore mortis habuit, vi præsentis nostræ Constitutionis, modo quo supra ante omnia debita portio deducatur, & hinc inde beneficijs suis assignetur: alijs Constitutionibus de Testamento & vltimis voluntatibus, nec non de peculio Clericorum, tam à Iure communi, quàm etiam consuetudinibus editis à nostris Prædecessoribus, & à nobis huc vsq; tentis & obseruatis, semper saluis & in firmitate duraturis.

Insuper mandamus: quatenus omnes & singuli Clerici & Laici viriusq; sexus, cuiuscunq; dignitatis, status, gradus, aut conditionis existant, Testamenta & vltimas voluntates, per quascunq;

quascumq; personas facta, edita & ordinata, aut in futurum faci-
 cienda, edenda & ordinanda, factas, editas & ordinatas, coram
 nobis, aut nostro in hac parte deputato, vel deputando Commis-
 sario, infra duorum mensium spacium, à presentium insinuatio-
 ne continuè & immediatè computando, in medium offerant &
 producant: de præmissis testatis, legatis, & assignatis, & eorum
 fideli executione & dispositione iuxta Testamentorum & Instru-
 mentorum desuper editorum continentiam & tenorem, integram
 & sufficientem rationem reddituri, ut tenentur. Alioquin si
 secus fecerint, extunc dicto termino euoluto, omnia & singula
 testata, legata, & donata à præmissis Testamentarijs, censura
 qua conuenit mediante, integrè repeterè, voluntatem quoq;
 dictorum Testamentorum auctoritate nostra ordinaria exequi
 curabimus, & adimplere: dictorum Testamentariorum contradi-
 ctione, negligentia & rebellione non obstantibus, quos nihilo-
 minus pro tanta desidia & negligentia castigare non omitteremus.

¶ Statuimus etiam pænis sub præmissis, ut in qualibet Ec-
 clesia post eleuationem viuifici Sacramenti Corporis Domini no-
 stri *IESU CHRISTI*, in summa Missa cantetur antiphona:
 Contere *DOMINE* fortitudinem inimicorum Ecclesiæ tuæ, &c.
 cum versiculis & collectis à nobis desuper institutis: quatenus
 propitiationis *Agnus* precibus nostris placatus, omnium aduer-
 sitatum horrores tranquillet ad pacem sempiternam.

¶ Insuper ordinamus, ut quilibet Sacerdos in nostra Diœ-
 cesi constitutus, in omnibus suis Missis istas clausulas in fine
 vltima Collectæ, & in secreto, ac Complenda: Pacemq; tuam, &c.
 Et famulum tuum Anulitem nostrum, cum omnibus sibi commis-
 sis, &c. adijcere & imponere non omittat pænis sub præmissis.

¶ Item. Ordinamus sub iamdicta Synodali pæna, ut in qua-
 libet Ecclesia nostræ Diœcesis, singulis diebus mane & serò pul-
 setur campana pro pace & vnitæte Ecclesiæ.

N ij

De sen-

De sententia Excommunicationis.

AD vitandum scandala & multa pericula, qua euenire solent conscientijs timoratis: Statuimus & ordinamus, quod nemo deinceps à communionem alicuius in Sacramentorum administratione vel perceptione, aut alijs quibuscumq; diuinis, vel extra, prætèxtu cuiuscumq; sententia, aut censura Ecclesiastica, seu suspensione, aut prohibitione, ab homine vel à Iure, generaliter vel specialiter promulgata, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare: nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura, huiusmodi fuerint, in vel contra personam, Collegiũ, Vniuersitatem, Ecclesiam, aut locum certum, vel certam, à Iudice publicata vel denunciata specialiter & expressè. Aut si aliquem ita notorie Excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo Iuris suffragio excusari: nam tunc solum à communionem illius abstinere volumus, iuxta Canonicas sanctiones. Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, aut prohibitos, in aliquo non intendimus releuare, nec eis quomodolibet suffragari.

De clandestina Desponsatione.

Insuper mandamus pœnis sub præmissis, quatenus nullus Presbyter in contrahendis matrimonijs aliquas personas copulare præsumat, bannis non præmissis: sed prius in Ecclesijs publice coram plebis multitudine tria proponat edicta, vt qui voluerit & valuerit legitimum opponat impedimentum. Presbyteri etiam medio tempore tam à partibus copulandis, quàm etiam ab alijs de impedimentis diligenter inquirent. Et si nec per oppositionem, nec per inuestigationem de impedimento constiterit, eos copulare non omittat. Si autem per oppositionem cuiuscumq; aut aliàs

aut aliàs contra copulã in facie Ecclesiæ consummandam probabilis apparuerit coniectura, mox contractus interdicatur: nec tunc ad consummandum matrimonium in facie Ecclesiæ admittantur, donec quid fieri debeat, per nos, aut nostrum Officialem, sint edocti. Certificantes eosdem, quòd si secus fecerint, quòd tunc contra eosdem ad pœnam Synodalem, ac ad alias pœnas vigorosius procedemus: Alijs pœnis tam in contrahentes, in forma Ecclesiæ, quàm etiam copulantes eosdem, semper saluis, & in sui firmitate duraturis: à nobis nihilominus contra eosdem exequendas.

De celebratione Missarum.

Quoniam nonnulli Ecclesiarum Rectores magis appetentes otijs effœminari ac sceleribus, quàm fructuosis exerceri laboribus, seminalis operationis exercitatione postposita, adeò ocia-tionis eneruatur desidijs, ut vix in Ecclesijs suis infra vnius hebdomadæ decursum, vnã Missam: plures etiam Altarista (quod deterius est) in suis beneficijs per integrum anni circum nullam Missam celebrent, nec ab alijs suo loco disponunt celebrari: vnde crescit inuentione in fidelium cordibus, ita ut plures à beneficiorum fundatione, dotatione, & alijs pijs causis retrahantur, & multa incommoda suscitantur. Nos igitur tanti otij sterilitatem, quæ praua sobolis solet fecunditate imprægnari, excutere, ac Clerum nostrum à negligentia somno suscitare affectantes, hac nostra Synodali constitutione sancimus, ut quilibet Presbyter curatus in sua Parochiali Ecclesia singulis septimanis tres Missas ad minus, Altarista verò Missam per se, aut alium idoneum Presbyterum, celebrare teneantur, nisi ad plures celebrandas ex fundatione, origine, aut consuetudine sint astricti, sub pœna Synodali, à negligentibus ad Cameram nostram irremissibiliter persoluenda.

¶ Volūmus etiam & ordinamus, ut quilibet Clericus in Ecclesia, in qua beneficiatus existit, singulis Dominicis, & alijs diebus, quibus ex ritu institutionis & obseruantie sanctæ matris Ecclesiæ solennes fieri solent Processiones, ipsis Processionibus decenter habituatus intersit propria in persona: nisi per instam absentiam, aut aliam legitimam causam, ad quam probandam sit astrictus, dignè valeat excusari, sub pœna vnius grossi vsualis, quam negligentem, desidiosum, siue absentem, toties, quoties, incurrere volumus ipso factò. Prædictam autem pœnam in nostra Vratislaviensi Ecclesia, & in alijs Collegiatis Ecclesijs per Vicedecanos: in alijs verò non Collegiatis Ecclesijs per Ecclesiarum Rectores exigi volumus & mandamus, ad alias pœnas nihilominus prout prauitas exegerit delinquentium, aut horitate ordinaria processuri.

¶ Insuper ordinamus sub obedientia debito, & pœna Synodali districtius iniungendo, quatenus omnes & singuli Clerici nostra Diœcesis, & præsertim Collegiatarum, & aliarum Ecclesiarum parochialium Rectores, in Missarum celebrationibus, in Ieiuniorum & Festiuitatum obseruationibus, & alijs diuinis officijs decantandis, in initio, medio, & sine Collectarum, in accentibus Epistolarum, Euangeliorum, Præfationum, & in alijs cæremonialibus, eundem quem nostra Vratislaviens. Ecclesia tenet ritum, morem, & diuinum ordinem, per nos presenti anno institutum, & in profuturum instituendum, habeant, publicent, teneant diligenter & obseruent: seq̃ eidem tanquam membra suo capiti in pari vocis consonantia, & consonanti concordia in omnibus coaptent & conforment: ne ex differentia rituum scissura fidei, aut vacillatio simplicium cordibus immittatur.

De immu-

De immunitate Ecclesiarum.

Sacrorum Canonum vestigijs adherere cupientes, statuimus, & sub pœna Synodali firmiter præcipiendo mandamus: Ne quis, cuiuscunq; status, gradus, ordinis, dignitatis, aut præeminentia fuerit, impetratores literarum nostrarum, aut Iudicium Ecclesiasticorum nostræ Diœcesis, super causis, negotijs, seu quæstionibus, quæ de Iure, aut antiqua consuetudine ad forum Ecclesiasticum pertinere noscuntur, ad desistendum: vel in foro seculari de quæstionibus huiusmodi litigandum, per captionem nunciorum, processuum, & literarum lacerationem, rerum & bonorum ablationem, modisq; alijs quibuscunq; compellat, seu compelli faciat vel procuret: nec per se aliosuè impediatur, quò minus coram Iudicibus Ecclesiasticis nostræ Diœcesis, in præmissis causis, aut aliqua ipsarum, possint liberè iustitiam obtinere. Si quis verò contrà præsumserit, ultra pœnam Synodalem excommunicationi se ipso factò nouerit subiacere, cuius absolutionem nobis specialiter reseruamus. Inhibentes nihilominus omnibus, tam Religiosis, quàm secularibus Presbyteris, ne sic delinquentibus, & Iurisdictiones Ecclesiasticas perturbantibus, munus absolutionis impendere præsumant, etiamsi authoritatem nostram in absolutione meruerint obtinere, nisi hoc eis specialiter concedatur. Sed eos & quemlibet ipsorum tanquam excommunicatos publicè vitare, ac eosdem in suis sermonibus coram plebe singulis diebus Dominicis denunciare, ad nos quoq; pro absolutionis beneficio obtinendo remittere debeant & teneantur: sub pœna Synodali ab eis postulanda.

¶ Volumus

S Volumus etiam, ut hi qui faciunt, impediunt, vel procurant, per se vel per alios quoquomodo, ne ad eos possit citatio peruenire: vel quorum domicilia siue loca non possunt tutè liberè adiri, per citationes ianuis nostræ maioris Vratislauen. Ecclesie, aut aliarum vicinarum Ecclesiarum affixas citari valeant, & ardent huiusmodi citationes post lapsum termini, quem distantia considerata locorum citationibus ipsis apponi conuenit competentem, ac si ad eos personaliter peruenissent: ita ut Iudex contra talem procedere poterit, tanquam contra contumacem. Hæc de Statutis Synodalibus


Domini PETRI Episcopi
Vratislauen.

LAVS AETerno DEO.

STATVTA

STATVTA SYNODALIA

DOMINI RVDOLPHI
EPISCOPI VVRATIS-
LAVIEN. FELICITER
INCIPIVNT.



AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Quonquam Reuerendi quondam Patres, CONRADVS, & PETRVS, Episcopi VVRatislauieñ. suo modo cum diuersis coeremonijs Synodos Episcopales celebrauerint, etiam in Vesperis de sero ante Synodum incipiendo, maximè propter locationem Prælatorum, Abbatum videlicet & aliorum. Reuerendo tamen Patri, domino RVDOLPHO Episcopo VVRatislauieñ. Apostolicæ Sedis cum potestate Legati de latere legato, qui diuersis generalibus, nationalibus, prouincialibus & dioecesanis Synodis & conuentionibus interfuit, visum fuit sufficere, quòd Synodus Episcopalis seruaretur, prout sua Paternitas obseruauit. Quapropter sua Paternitas huiusmodi modum ac vocationem ad primam suæ Paternitatis Synodum, quam emisit: nec non & Constitutiones & ordinationes, quas in Synodis per suam Paternitatem celebratis, fecit & publicauit, in hunc libellum conscribi, & ad Ecclesias hinc inde distribui fecit, vt suæ Paternitatis successores, si placeat, hunc modum continuare possint. Inprimis igitur sequitur forma Citationis per suam Paternitatem emissæ, quæ tamen in futurum necessaria

non erit, cum in prima Synodo in fine constituerit, quòd futuris temporibus singulis annis, absq; alia conuocatione, Synodus debeat obseruari, prout infra continetur.

O CITATIO

CITATIO AD PRIMAM

SYNODVM.

RVDOLPHVS DEI
GRATIA EPISCOPVS
VV RATISLAVIEN. SANCTAE

Sedis Apostolicæ cum potestate Legati de latere, ad inclyta Bohemiæ Poloniæq; regna, diuersasq; partes Almaniae legatus, &c. Venerabilibus viris, dominis, maioris nostræ VVratilauici. beatæ Mariæ Glogouiæ maioris, Oppolici & Legnicensis, Ecclesiarum Collegiatarum, Archidiaconis in CHRISTO nobis syncerè dilectis, Salutem in Domino. Ad regimen nostræ VVratilauici. Ecclesiæ (licet immeriti) DEO annuente, vocati: -etsi iuxta sacrorum Canonum, statutorumq; prouincialium Constitutiones, Synodum in dicta nostra VVratilauici. Diocesi, semel saltem in anno, reformandorum morum, ac corrigendorum excessuum subditorum gratia, celebrare semper cordi nobis fuerit, votisq; huiuscemodi nostris quàm libenter, prout dignum fuisset satis fecissemus: tamen quantis curis grauib; nimis onusti, quotquot fortunis periculisq; interea agitati ac laceffiti fuerimus, nedum exacti temporis consideratio edocet, ac considerata solerter illius tempestatis discrimina, ceu cunctis huius patriæ incolis notissima manifestant, nemoq; sanæ mentis ignorat: Verum licet huiusce tempestati turbulentæ, nec sic finis ex alto optatus concessus sit, respirareq; pauillum ad præsens vix detur. Ne tamen multis crassantibus locus sit exemplo, sanguisq; subditorum reformandorum de manibus nostris requiratur, neglecta ac omiſſa instaurare, compensare, corrigere, ordinare, reformareq; quoad poterimus, auctore DOMINO, cordi nobis ac præsentis est instituti. Habita igitur matura cum Fratrib; nostris, videlicet Venerabili Capitulo Ecclesiæ nostræ, deliberatione Synodum diocesanam in eadem Ecclesia nostra, decima octaua die mensis Octobris, proximè futura, celebrandam, vniuerso Clero dictæ nostræ Diocesis indiximus, ac

mus, ac per præsentis indicimus: Quare vobis committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus vniuersos & singulos vestri Archidiaconatus, Prælatos seculares, aut Religiosos, Abbates, Priores, quarum cunq; Collegiatarum ac Conuentualium Ecclesiarum Præpositos, Prælatos, Canonicos, Archipresbyteros, ac alios quoscunq;, qui de iure aut consuetudine Synodo huiusmodi interesse tenentur, vno Edicto pro tribus peremptoriè euocetis, requiratis, ac eisdem dictam Synodum futuram insinuetis: huiusmodi quoq; vocationis Edictum ac Synodi insinuationem in Ecclesia prædicta publicè proponentes, vt ad præmissorum ac cuiuslibet eorum noticiam verisimiliter perueniat, ne in præmissis & subnotatis ignorantiam prætereundum seu quomodolibet allegare valeant aliqualem: quos & nos per præsentis vocamus, ac in virtute sanctæ obedientiæ requirimus, quatenus præfata die X V I I I. dicti mensis Octobris, hoc est, ipso die ac festiuitate sancti Lucæ Euangelistæ proximè futura, ac duobus diebus immediatè sequentibus, Capitula maioris, & sanctæ Crucis, Plebani & omnes Sacerdotes ciuitatis VVratislauic, & suburbiorum eius, nec non omnes domini Abbates monasteriorum totius Diocesis, propria in persona, ac duo Prælati ex vnoquoq; Collegio siue Conuentu extra ciuitatem in Diocesi, si commodè fieri poterit, aut saltem vnus Prælati cum altero Canonico aut confratre dicti Collegij aut Conuentus: Archipresbyteri verò omnes singularum sedium, cum vno ex fratribus suæ sedis, ac communibus expensis Fratrum eiusdem sedis, pro dicta Synodo die sancti Lucæ Euangelistæ solenniter inchoanda ac celebranda, in habitu ad hoc decenti in dicta nostra VVratislauic. Ecclesia personaliter compareant, pro communi vtilitate totius nostræ Diocesis, status Ecclesiastici, Ecclesiasticarumue personarum reformatione, ac animarum salute, statuendum ac ordinandum, inibi consulturi, statuta demum acceptaturi: nec inde sine speciali nostra licentia recessuri, sub poena arbitraria, quam nos huiusmodi inobedientibus & rebellibus imponemus, & ab eisdem Domino concedente exigemus. Datum VVratislauic, die vltima mensis Iulij. Anno Domini, M. CCCC. LXXIII. nostro sub Sigillo literam redder, &c.

ADVENIENTE ITAQ. DIE STATUTA, MANE PVL-
 satum est ad Synodum tribus vicibus cum Campana magna,
 prout decebat. Et Dominus Episcopus præfatus intrans Ec-
 clesiam, inprimis constituit promotorem Synodi, videlicet domi-
 num Iohannem Hofeman, Licentiatum in Iure Canonico, Ecclesiæ
 suæ Canonicum, & in spiritualibus Vicarium : cui commisit, vt do-
 minos Abbates, Prælatos, Canonicos, Archipresbyteros, & alios, lo-
 caret iuxta dignitates eorum, & aliàs quoad Processiones, sessions,
 & alia agenda respectum haberet, vt singula honestè procederent:
 Item proponenda proponeret, & interroganda ab Archipresbyteris
 & alijs interrogaret, & alia faceret quæ per promotorem Synodalem
 fieri consueuerunt. Item deputauit Notarium, videlicet dominum
 Arnastum Rudiger, prothonotarium Cancellariæ suæ Paternitatis,
 vt singula in Synodo notanda & conscribenda notaret & conscri-
 beret. Deinde intrauit sua Paternitas sacristiam cum ministris,
 Archidiacono videlicet & alio Canonico, & quatuor Vicarijs, ipsis
 astantibus ad induendum se in pontificalibus, &c. Medio tempore
 dominus promotor locauit dominos Abbates, & alios Prælatos, qui
 in futurum locari debent, prout sequitur. Inprimis in dextro stallo
 Domini Episcopi seruatus est locus Episcopo : post quem si Suffra-
 ganeus siue Vicarius in pontificalibus affuisset, locari debuisset, & si
 in futurum adesset, locari deberet. Consequenter verò Prælati &
 Canonici maioris, & post illos, siue superius siue inferius, in Bancis
 prout stare potuerunt, Præpositus Ecclesiæ sancti Egidij, atq; Prælati
 & Canonici Ecclesiæ S. Crucis. Item Præceptores siue Magistri de
 Corpore Christi, & sancto Matthia : & Præpositus S. Spiritus. Ex
 alio verò latere, vel stallo sinistro, locati fuerunt domini Abbates
 infrà scripti, qui omnes personaliter comparuerunt : Lübben. Beatæ
 Mariæ ad Arenam : Sancti Vincentij extra ciuitatem, secundum
 ordinem ipsorum : In Sagano, in Heinrichavv, in Camentz, in
 Grissavv, in Ruda, in Gymelnitz. Et post ipsos, Prælati & Cano-
 nici Ecclesiarum Glogouix maioris, Legniceñ. Nisseñ. Oppolieñ.
 Bregensis, Ratiborienſis, & Glogouix superioris : siue superius
 siue inferius in Bancis prout stare potuerunt. Sub Abbatibus verò
 positi fuerunt stantes eorum Capellani tenentes baculos : Ante quos
 Capellanos Abbatum locati fuerunt Banci, super quibus locati
 fuerunt

fuerunt Prælati, & aliqui alij qui superflui fuerunt, qui in superioribus locari non potuerunt. In corpore verò Chori sederunt Archipresbyteri, & eorum socij, & alij Sacerdotes & Clerici, qui interfuerunt. Promotor verò & Notarius sederunt infra in banco apud ianuam chori ad latus Episcopi. Post locationem verò factam, & dicta Tertia, Episcopus pontificalibus indutus cum ministris processit ad Altare, & ibi inchoauit Antiphonam: *Veni sancte Spiritus.* Qua finita, per Chorum inceptæ & continuatæ fuerunt Letaniæ per duos ad hoc deputatos, prostratis omnibus, siue genua flectentibus, & Episcopo similiter genibus flexis super cathedra incumbente, ac mitra deposita, vsq; ad illud: *Vt dominum Apostolicum, &c.* Quo dicto Episcopus surrexit cum ministris, & mitra supraposita, facie versa ad congregationem Synodalem, habens baculum in manu, cantando Letaniam continuauit illo modo: *Vt Synodum istam in tuo nomine congregatam benedicere digneris. Te rogamus, &c.* *Vt Synodum istam benedicere & inspirare digneris. Te rogamus audi nos.* *Vt Synodum istam benedicere, inspirare, & sanctificare digneris, &c.* Quibus per Episcopum dictis, iterum eo prostrato, finitæ fuerunt Letaniæ. Quibus finitis Archidiaconus clamauit, PATER NOSTER. Quo sub silentio dicto, Episcopus cum ministris surrexit, & supraposita mitra, cum baculo in manu alta voce quasi cantando dixit: *Et ne nos inducas in tentationem, &c.* Memor esto DOMINE congregationis tuæ, quam possedisti ab initio. Saluum fac populum tuum DOMINE, Et benedic hereditati tuæ: Et rege eos, &c. Nihil proficiat inimicus in nobis, & filius iniquitatis non nocebit nobis. Esto nobis DOMINE turris fortitudinis, à facie inimici. Fiat misericordia tua DOMINE super nos, quemadmodum sperauimus in te. Domine DEVS virtutum conuertere nos, Et ostende nobis faciem tuam, & salui erimus. Domine exaudi orationem meam, Et clamor meus ad te veniat. DOMINVS VOBIS CVM, &c. Oremus. Adsumus Domine sancte Spiritus, adsumus peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati, veni ad nos, esto nobiscum, & dignare illabi cordibus nostris, doce nos quid agamus, quò gradiamur, & ostende quid efficere debeamus, vt te auxiliante tibi in omnibus placere valeamus. Esto salus & suggestor, & effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum DEO Patre & eius Filio nomen possides gloriosum. Non nos patiaris perturbatores esse iusticiæ, qui summam di-

*ligis æquitatem, vt in sinistrum nos non ignorantia trahat, non fauor inflectat, non acceptio muneris vel personæ corrumpat: sed iunge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, vt simus in te vnum, & in nullo deuiemus à vero, qualiter in Nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iusticiam, vt hic à te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna: Per Christum dominum nostrum, Amen. Quibus gestis, Processio facta est per Ecclesiam cum responso, Apparuerunt Apostolis, &c. Qua completa, incepta & continuata est Missa solennis de Spiritu sancto per Episcopum cantata: quæ finita Episcopus exuta casula, & induta cappa siue pluuiali cum mitra, portato ante se baculo processit ad stallum suum, & ministri cum luminaribus reuersi sunt ad Cameraam, & eis exutis venerunt ad stallos suos siue loca sua. Episcopo autem constituto in stalli suo, egregius vir dominus Andreas VVayner Canonicus VVratislauien. sacræ Theologiæ professor, recepit benedictionem à sua Paternitate, & fecit solennem sermonem & exhortationem ad Clerum. Quo finito, Vicarius in spiritualibus, tanquam promotor apportauit librum Statutorum prouincialium & Synodali-um, quorum aliqua illa die lecta fuere: quibus lectis, dominus Episcopus pro ista vice finem imposuit, & benedictionem solennem dedit subsequenter: *QVI dispersos Israel congregat, ipse vos hic & vbiq; custodiat, Amen. Et non solum vos custodiat, sed ouium suarum idoneos custodes efficiat, Amen. Vt cum summo Pastore CHRISTO de gregum suorum pascione gaudeatis in cælo, Amen. Quod ipse, &c. mandauitq; omnibus, vt prandio facto omnes conuenirent ad domum Episcopalem, audituri quæ sua Paternitas Reuerendissima ibi proponere, quærere, & tractare vellet, &c. Quibus venientibus, inprimis dominus Episcopus quæsiuit de defectibus, tam inter Ecclesiasticos quàm seculares existentibus: Vnde tam domini Abbates, quàm alij de Collegijs, atq; Archipresbyteri multa contra tyrannos, patronos, & alios Laicos, proposuerunt, & conquesti fuerunt, & aliqui cedulas obtulerunt & legi fecerunt, quas dominus Episcopus post diuersos tractatus & sermones ad se recepit, vt per Constitutiones Synodales de nouo fiendas, vel per inuouationem antiquarum Constitutionum prouincialium vel Synodali-um, quantum possibile esset, remedium poneretur: Et sic facta Collatione, dominus Episcopus dimisit eos, & iniunxit, vt die sequenti iterum in Ecclesia conuenirent**

III.

uenirent ad continuandam Synodum. Et ita fuit expedita prima dies.

¶ Secunda verò die Synodi iterum conuenientibus, Episcopo, Abbatibus, & cæteris, locatisq; iuxta modum diei præcedentis, dominus Abbas in arena, quia infulatus, & tunc præcessor pro illo anno ante dominum Abbatem sancti Vincentij fecit officium: Si tamen affuisset Suffraganeus, siue Vicarius in pontificalibus, ille fecisset. Et iterum vt die præcedenti, incepit Antiphonam: *Veni sancte Spiritus.* Deinde dictæ sunt Letaniæ. Sed quia dominus Episcopus fuit præsens in stalli suo in pontificalibus, continuauit Letaniam prout hesternò die, dicendo: *Vt Synodum istam, &c.* Si verò Episcopus non fuisset præsens, celebrans siue faciens officium continuasset, & benedixisset, prout Pontifex præcedenti die fecit. Sed in fine versiculorum subiunxit collectam, videlicet: *Nostrorum tibi DOMINE curuantes genua cordium, quæsumus, vt bonum quod à nobis à te requiritur exequamur, scilicet vt prompta tecum sollicitudine gradientes, discretionis arduæ subtile iudicium faciamus, ac misericordiam diligentes clareamus studijs tibi placitæ actionis, Amen.* Quibus factis absq; processione inceptum est officium solenne de beata Virgine: quo expedito, & Abbate redeunte ad stallum, dominus Episcopus aliqua per se dixit de vtilitate celebrationis Synodorum, & quòd necesse sit, quòd magnus fructus inde sequatur, tam inter Ecclesiasticos quàm seculares, qui saltem timore denuntiationis eorum malè agentium in Synodo, aut formidine pœnæ desistent à praua eorum vita. Et quomodo in alijs regionibus singulis annis bina vice Synodus celebretur, ad quam omnes beneficiati, tam Curati, quàm non Curati, exceptis paucis, qui in Ecclesijs dimittuntur pro populo, conuenire tenentur. Sed sua Paternitas dixit se non velle in tantum Clerum grauare, sed duntaxat statuere, quod semel in anno celebretur, ad quam Clerus, Ciuitates, Abbates, & aliqui de Collegiatis Ecclesijs, & Archipresbyteri cum socijs venire teneantur. Deinde sua Paternitas fecit iterum Promotorem legi aliquas Constitutiones, de vita & honestate Clericorum, de Tonsura, de Vestibus, contra Concubinariorum, contra ebriosos, & existentes sæpius in tabernis. Post hoc dedit

dedit benedictionem solennem, illo vt sequitur modo : **DOMINVS** mentis & linguæ corporalis & spiritualis, det nobis incrementa gratiæ sacerdotalis, Amen. Atq; vobis ad dexteram constitutis, participium cælestis tribuat regni, Amen. Quod ipse præstare dignetur, qui nos ante constitutionem mundi prædestinatos, & ante finem seculi iustificatos præsciuit, per infinita secula seculorum, Amen.

I Post prandium verò iterum conuenientibus omnibus in Curia Episcopali in stuba superiori, dominus Episcopus commisit Archipresbyteris, vt exactam diligentiam faciant & inquirant de vita Sacerdotum sub sede sua : & vbi intellexerint aliquem Concubinarium, aut lusorem, aut visitantem tabernas, aut ebriosum, &c. quòd contra talem procedant, suspendendo à diuinis, & aliàs prout eis videbitur, vt talis desistat, & si desistere non velit, suus Archipresbyter ei præfigat terminum comparendi coram domino Episcopo, vel Vicario suo : & quòd ipse Archipresbyter suam Paternitatem, aut ipsius Vicarium cum plena informatione de hoc auiset, &c. Item, quòd Archipresbyteri, & omnes alij sub sede, habeant aduertentiam, cum quis Sacerdos moritur, ne Laici (maximè patroni) apponant manum ad bona defuncti, sed quòd ipsi se intromittant & faciant prout infrà in Statuto desuper facto continetur. ¶ Item, quòd similiter habeant respectum ad vsurarios publicos, vt illis Sacramenta & sepulturam Ecclesiasticam non administrent, nisi restituant per vsuram extorta, vel cautionem faciant, quòd ipsi si conualescant, aut hæredes eorum, si moriantur, restitutionem certorum faciant : & super incertis vel inueteratis cum Episcopo componant, prout etiam in Constitutione desuper facta continetur.

I Tertia verò die fecit officium Abbas ad sanctum Vincentium, etiam infulatus, cum Antiphona : *Veni sancte Spiritus.* & Letanijs, vt suprà, cum Collecta, post versiculos, Oremus. **AD TE DOMINE** iterum clamosis vocibus proclamantes vnanimiter postulamus, vt respectu gratiæ tuæ solidati, præcones virtutis efficiamur intrepidi, tuumq; valeamus verbum cum omni fiducia loqui, Amen. Et quia Episcopus fuit præsens, dixit iterum : *Vt Synodum istam.* cum versiculis, & Collecta. Qui si non fuisset præsens, dixisset cantans officium.

Et can-

Et cantata fuit Missa solenniter de sancto Iohanne patrono, sine Pre-
 cessione. Post officium Episcopus fecit admonitionem istam : Pre-
 cibus itaq; D E O præmissis, Fraternitatem vestram dilectissimi filij
 cum pia exhortatione admoneo, & per diuinum nomen obtestor,
 vt ea quæ à nobis de D E O, & sacris Ordinibus, vel sanctis moribus,
 discreta fuerint, cum omni pietate suscipiatis, & cum summa reue-
 rentia perficere studeatis, quatenus superna auxiliante gratia, ea quæ
 ad salutem nostram, & Christiani populi nobis commissi, pertinere
 videntur, diligenter & prouidè tractemus, ne oves Domini nostri
 I E S V C H R I S T I nobis commissæ (licet indignè) ob no-
 stram pereant negligentiam, pro quibus in die Iudicij rationem red-
 dituri sumus. Deinde vos simili obtestatione coniuro, vel obsecro,
 vt nullus vestrum in iudicio fratrem suum, aut personam accipiat,
 aut quolibet fauore vel munere pulsatus à iusto iudicio scienter auer-
 tatur aut discedat : sed cum tota pietate fraternæ dilectionis, & cum
 Dei timore libenter vobiscum adhibeatis studium, quatenus per ve-
 stram doctrinam & sacram admonitionem, peccata, errores, & pra-
 uitates filiorum vestrorum, qui ante nos, vel tempore nostro, insti-
 gante diabolo, in Ciuitate ista, vel Parochijs vestris, perpetrata fue-
 rint, D E I auxiliante misericordia, ad correctionis emendationem,
 & bonorum executionem perducere valeamus, & in extremo Iudicij
 die, non de negligentijs & culpis à D O M I N O, sicut pigri & mali
 serui iudicemur : sed de benefactis ac rectè dispositis præmium æter-
 næ beatitudinis recipere mereamur. Deinde lectæ fuerunt Consti-
 tutiones Synodales, siue illæ quæ innouatæ fuerant : quibus factis
 Episcopus mitratus stans conclusit Synodum cum illa oratione :
*Nulla est D O M I N E humanæ conscientia virtus, quæ in offensione possit
 tuæ voluntatis iudicia expedire. Et ideoq; imperfectum nostrum viderunt
 oculi tui perfectioni deputata, quod perfectione æquitatis sine concludere
 præoptamus. Te in nostris principijs occursores poscimus, te quoq; in fine
 iudiciorum nostrorum excessibus adesse precamur, scilicet vt ignorantia
 parcas, vt errorem indulgeas, vt perfecti votis perfectam operis efficaciam
 largiaris. Et quia conscientia remordente tabescimus, & si qua ignoran-
 tia nos traxerit in errorem, aut præceptum forsitan voluntas impulerit à iu-
 stitia declinare : ob hoc te poscimus, te rogamus, vt si quid offensionis in hac
 Concilij celebritate attraximus, condonante te sit remissibile : vt in eo*

quod soluturi sumus aggregatum Concilium, à cunctis primum absoluamur
 nostrorum nexibus delictorum, qualiter & transgressores venia, & confiten-
 tes tibi subsequatur remuneratio sempiterna. ¶ Deinde benedixit hoc
 modo: Omnipotens D E I Filius, qui est initium & finis, complementum
 nobis tribuat charitatem, Amen. Et qui vos ad expletionem huius fecit
 peruenire Synodi, absolutos efficiat vos ab omni contagione delicti, Amen.
 Ut ab omni reatu liberiores effecti, absoluti etiam per donum sancti Spiri-
 tus, felici reditustrarum sedium cubilia repetatis illæsi, Amen. Quod
 ipse. Deinde dictus Episcopus omnibus qui interfuerunt Synodo,
 dedit indulgentias pro quolibet die Synodi, autoritate Legationis
 C. & autoritate ordinaria XL. dies, in forma Ecclesiæ consueta.
 Finaliter cantabatur, Te D E V M laudamus. Et data fuit licentia
 omnibus ad propria remeandi: Ita tamen, quod vnusquisq;
 Archipresbyter constitutiones Synodales secum recipiat,
 & fideliter exequatur, ita vt in futura Synodo
 de singulis rationem reddere
 possit.

CONSTI-

CONSTITVTIONES NO-
VÆ ET INNOVATIONES AN-
tiquarum, factæ in prima Synodo do-
mini RVDOLPHI Episcopi, fuerunt,
& sunt tales. Anno Domini :
M. CCCC. LXXIII.

In primis : Quòd festum Præsen-
tationis beatæ Virginis saltem in Choro, quod
vsq; nunc ab aliquibus duntaxat Ecclesijs ser-
uatum est XXI. mensis Nouembris, pridie vi-
delicet festiuitatis beatæ Ceciliæ, per totam
Diocesim seruari debeat & teneri tanquam festum duplex.

¶ Item. Quòd quando tenentur breuia suffragia, etiam de-
beant teneri suffragia de sancto Iohanne Euangelista, & de san-
cto Vincentio Leuita compatronis, cum sancto Iohanne Baptista
in Ecclesia maiori Vratislanien.

¶ Item. Quòd in precibus, ubi hactenus dictum est :
DOMINE saluos fac Principes nostros. amplius dici, & in libris
scribi vel apponi debeat : DOMINE saluos fac Regem & Prin-
cipes nostros.

¶ Item. Quòd Prædicatores debeant hortari & informare
populum in sermonibus suis, vt dum Sacerdos in Missa post
memoriam mortuorum dicit : NOBIS, &c. quòd alta voce
cum concussione pectoris dici debet, quòd omnes audientes vtri-
usq; sexus similiter pectus percutere debeant : pro quo dominus
Episcopus & Legatus talem dedit indulgentiam, vt quis per ta-
lem percussione[m] pectoris X. dies indulgentiarum in forma Ec-
clesiæ consequatur & mereatur. ¶ Præterea dominus Epi-

scopus hortatus est dominos Abbates tunc presentes, ut fratres suos in obseruantia regulari bene instruant & instituant. Et quòd ante omnia tria substantialia Regula bene obseruent quæ uouerunt, Castitatem, paupertatem, & obedientiam: quæ si bene & perfectè seruentur, ueniet ex consequenti omnis honestas, uigilantia, & omne opus perfectum.

¶ Item, innouauit omnes Constitutiones tam generalium quàm prouincialium Conciliorum, atq; etiam Episcopaliū Synodorum, contra Concupinos: Item contra frequentantes tabernas & ebriosos Sacerdotes editas, in uirtute sanctæ obedientiæ præcipiendo omnibus Archipresbyteris omnium sedium totius Diæcesis, ut unusquisq; Sacerdotes tales in sua sede existentes moneat & requirat, ut focarias suas à se repellant, & ampliùs neq; in domo, neq; extra quouis modo foneant aut nutriant. Similiter ut ebriosi, & frequentantes tabernas, à talibus se abstineant, & sobrie uiuant, & nequaquam in tabernis sedeant ad potandum, &c. Illos autem qui post requisitionem & monitionem huiusmodi à talibus abstinere non uolunt, debet & tenebitur Archipresbyter domino Episcopo, aut suo Vicario in spiritualibus denunciare, & in scriptis annotare ut puniantur. Quòd si Archipresbyteri in talibus desides uel negligentes reperiantur, poterit Episcopus uel eius Vicarius contra tales procedere, & acriter punire.

¶ Item, quòd nullus Curatus audeat intronifare homines alia Parochia, sine speciali consensu & commissione proprii Plebani.

¶ Item, quòd nullus Plebanus, uel eius locum tenens, audeat intronifare uolentes contrahere matrimonium, absq; trina proclamatione tribus diebus successiue in ambone coram populi multitudine, facta ad hoc, ut habentes impedimenta contrahendi publicentur, & ad solennisandum matrimonium impediuntur & prohibeantur.

¶ Item,

Item, quòd nemo audeat intronifare contrahere volentes, etiamsi proclamationes debitae temporibus facta sint, tempore à Iure interdicto, nisi super hoc habeant indultum ab Episcopo, aut eius vicario in spiritualibus, aut alio Commissario, cui dominus Episcopus specialem desuper in scriptis dedisset facultatem.

Item. Quoniam ut experientia docuit & docet, Laici (maximè patroni) post mortem Plebanorum, se intromittunt de bonis defunctorum, illa rapiendo, dispergendo, & vanè consumendo: Interdixit hoc sua Paternitas omnibus & singulis, cuiuscunq; status vel conditionis existant, sub pœna anathematis. Sed voluit sua Paternitas, qua Testamentarij sacerdotis defuncti, aut si tales non constituisset, neq; haberet, Archipresbyter, vel viciniores Plebani, siue Sacerdotes, de bonis derelictis se intromittant, & singula fideliter conscribant. Et si per Laicos impedimentum præstetur, statim declarentur in ambo-nibus Excommunicati, vigore huius Constitutionis Synodalis. Quòd si quis intestatus decesserit, Archipresbyter vel viciniores Sacerdotes, aut Commissarij domini Episcopi, si qui ibidem vel propè sint, statim verum Inuentarium omnium relictorum per ipsum faciant, defunctum honestè sepeliri, Exequias, septimum, & tricesimum seruari procurent: Residuum autem Episcopo aut Vicario eius in spiritualibus mittant siue assignent, &c. & de expositis rationem faciant, & cetera.

Item, innouauit dominus Episcopus ordinationes & constitutiones Iuris & Statutorum prouincialium, contra vsurarios publicos & notorios, & præcipuè quòd non admittantur ad Ecclesiastica Sacramenta, neq; ad sepulturam Ecclesiasticam, nisi desistere velint à receptione huiusmodi vsuræ, & restituere malè per vsuram recepta, vel componere se cum illis, à quibus aliqua per vsuram extorserunt, vel eorum heredibus, si & in quantum ad sanitatem redierint: ac quòd filij vel heredes pro-

mittant, quod si ipsum contingat decedere, quod ipsi ve-
 lint satisfacere, vel cum eis se componere, a quibus per
 usuram aliqua extorserunt: aut cum Episcopo, si incertum
 sit à quibus usuram receperint, aut si tales non supersint,
 neq; hæredes habeant.

¶ Ultimo constituit & ordinavit sua R. P. quòd in futu-
 rum singulis annis semel in anno, videlicet secunda, tertia &
 quarta ferijs post Dominicam Iubilate teneri debeat Synodus,
 incipiendo in Anno Domini Millesimo quadringentesimo
 septuagesimo quinto, absq; noua conuocatione ipsius Synodi:
 In qua si dominus Episcopus pro tempore non possit interesse,
 Vicarius in Pontificalibus, si quis fuerit, & in eius defectum
 senior ex Abbatibus Monasteriorum sancti Vincentij, &
 beatae Mariae Virginis in Arena, qui illo anno præcedit,
 in stallo Episcopi sedebit, & cum Pralatis Ecclesiæ
 maioris, & Vicario in spiritualibus præsidebit,
 & facta Synodi diriget &
 ordinabit.

Et tantum de Synodo prima.

SEQVITVR

S E Q V I T V R

SYNODVS SECVNDA,
per dictum dominum RVDOLPHVM
Episcopum VVratislauien. eo quo
sequitur modo celebrata.



ANNO DOMINI MILLESIMO QVADRINGENTESIMO SEPTUAGESIMO QUINTO: feria secunda post Dominicam Iubilatę, Reuerendissimus in Christo pater & dominus, dominus RVDOLPHVS Episcopus VVratislauien. & adhuc Sedis Apostolicę cum potestate Legati de latere legatus, ex indictione Synodi in alia Synodo facta, secundam Synodum in propria persona celebravit: & illos, modum, ordinem, & coere monias seruauit per tres dies, prout in præcedenti Synodo seruati fuerunt. Constituit autem sua Paternitas in eadem Synodo Promotorem Synodi venerabilem virum, dominum Martinum Lindener Decretorum doctorem, Canonicum Ecclesię maioris VVratislauien. qui locauit Prælatos, prout supra. Item Notarium Synodi Michaelem Blorock, Prothonotarium Cancellarię suę Paternitatis. Collationem verò siue sermonem ad Clerum, prima die iterum fecit honorabilis dominus Doctor VVayner, Cancellarius Ecclesię VVratislauien. Qua finita, promotor accusauit absentium contumaciam, præcipuè Abbatum aliquorum, qui per fratres suos, quos ad Synodum miserunt, excusauerunt se: faciendo proponi impedimenta eorum, cur venire non possent, quę & dominus Episcopus iterum collaudans celebrationem & continuationem Synodi, narrauit, quòd plures publici vsurarij, qui prius sibi de hoc non formata conscientia indifferenter pecunias mutuarunt, & vsuram de illis receperunt cum pacto, quod cum vellent, pecunię cum vsura sibi restitui deberent: & qui nunc propter inhibitionem in præterita Synodo factam, & priuationem Ecclesiasticorum Sacramentorum destitissent, & amplius huiusmodi vsuram recipere non vel-

non vellent, sed inscriptiones legitimas sub titulo reemptionis, prout Ecclesia admittit, consentire vellent: & quædam alia sua Paternitas proposuit, per quæ singulos induxit ad bonam voluntatem ad Synodum veniendi, & illi interessendi. ¶ Secunda verò die post lectas Constitutiones Synodales domini CONRAD I bonæ memoriæ, præfatus dominus Episcopus publicari fecit Conseruationem à Serenissimo Rege MATTHIA, per Paternitatem suam impetratam, super tuitione & defensione ipsius domini Episcopi, & totius Cleri sui, in Priuilegijs, Libertatibus, Iuribus, & bonis Ecclesiasticis: prout sequitur in hæc verba.

MATTHIAS DEI GRATIA
 HVNGARIAE, BOHEMIAE, &c. REX:
 Marchio Morauia: Lucemburgensis
 & Silesia: Dux: ac Marchio Lusatia, &c.

Uniuersis & singulis, Illustribus, Magnificis, Nobilibus, & egregijs: Principibus, Baronibus, & cuiuscung, status hominibus in Diœcesi VVratislauenſi constitutis, & præsertim spectabilibus Capitaneis nostris, tam in inferiori quam superiori Silesia: Salutem, nostram Regiam & gratiam. Non sine displicentia querelam Reueren: in Christo patris, domini RVDOLPHI Episcopi VVratislauenſis. Principis nostri, & Apostolica Sedis Legati, accepimus, multos esse in ipsa Diœcesi sua, qui DEI timore posthabito, nec homines reuerentes multa in iniuriam Ecclesiastici status moliuntur, Iuraq, spiritualia multiphariè defraudare nituntur, contra sacros Canones & decreta Ecclesiastica, in præiudicium animarum suarum, & ipsius Episcopi ac Cleri sui damnum multum graue: & præsertim, quod sint nonnulli, qui villas, allodia, decimas, census, & alia bona, tam mobilia quam immobilia ipsorum tenent, & violenter spoliant, occupant, & detinent: Alij qui decimas maldratas,

dratas, fertones Episcopales minimè soluunt : alij qui sacrilegas manus in bona Sacerdotum, qui ab intestato, vel etiam factò Testamento decedunt, immittunt : Alij qui sub pallio Iurispatronatus presbyteros de Ecclesijs iam adeptis & possessis simpliciter eijciunt, vel ad commutandum cum voluerint inducunt & cogunt : Alij qui de testamentis Sacerdotum ipsorum, & legatis ad pias causas, se ingerunt, & ea in proprios vsus conuertunt, siue sint de bonis eorum mobilibus, siue de censibus sub titulo redemptionis emptis, qui inter mobilia computantur, quamuis aliàs coram Notario & testibus ritè & legitimè facta fuerint. Alij qui census subditorum suorum, quos viris Ecclesiasticis dare tenentur & deberent, quos uè libenter traderent, recipiunt, & subditos ipsos dare ubi tenentur, prohibent, nullam Ecclesiasticam censuram propterea curantes, modò ipsos qui talibus censuris inuoluuntur potius sustinendo, quam ut de ipsis se exuant admonendo : contra Statuta prouincialia & Ecclesiasticam libertatem. Alij deniq, etiam ciues in ciuitatibus, qui census debitos Ecclesiasticis personis denegant, vel magna in parte diminuunt : non admittentes quod aliquis Ecclesiasticus domum aut alia bona emat : quod si emerit, porrigere nolunt. Pluraq, alia abusionum, oppressionum & iniuriarum contra ipsos spirituales, genera exercendo. Vnde prafatus Reuerendissimus pater, dominus RVDOLPHVS Episcopus nobis humiliter supplicauit, ut de remedio opportuno, ex nostra Regia clementia prouidere dignaremur. NOS igitur, qui nullum subditorum nostrorum iniuste opprimi volumus, & prafertim Ecclesiasticorum, quibus ex data nobis diuino munere gratia singulariter afficimur, & quos ante omnia protegere debemus & tenemur, talibus supplicationibus inclinati, vobis & cuilibet vestrum harum serie firmiter prapicimus & mandamus, quatenus dum & quotiescunq, presentibus fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus, huiusmodi iniuriatores cuiuscunq, status aut

2
conditionis

conditionis existant, ad desistendum à talibus iniurijs & oppres-
sionibus, & ad satisfaciendum pro ablatiis & retardatis, atq; ad
obseruandum immunitatem Ecclesiasticam, cogatis. Dictumq;,
Dominum RVDOLPHVM Episcopum, & suum Clerum, in
immunitate Ecclesiastica, & suis Priuilegijs manuteneatis, &
quilibet vestrum manuteneat: contra facientes etiam brachio
seculari acriter percellendo, gratiæ nostræ sub obtentu. Datum
in castro Rathiborien. XII. die mensis Martij. Anno Domini:
Millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto. Regnorum
nostrorum anno Hungaria, &c. decimo octauo: Bohemiæ verò
sexto.

¶ Tertia verò die per Promotorem præfatum publicari fecit
Constitutiones & ordinationes nouas Synodales, siue innouationes
antiquarum constitutionum & ordinationum sanctorum Patrum,
quæ sequuntur: Et sunt tales.

Nprimis statuit, voluit & ordina-
uit: Quòd in qualibet sede per Archipresbyte-
rum & Seniores eligantur & constituantur aliqui
tam Ecclesiastici quàm Seculares boni viri, DEVM timentes,
tanquam testes Synodales, qui vnà cum Archipresbytero, vel
per se scrutentur & inquirent de publicis criminibus, maxime
de publicis Concubinarijs vel adulteris, de Sortilegis, de Cleri-
cis tenentibus vel frequentantibus tabernas, de publicis vsura-
rijs, de persequentibus Clerum, de rapientibus bona Clericorum,
siue viuentium siue defunctorum, & his similibus: & illa de-
ferant Archipresbytero, vt Archipresbyter illa ad Synodum
deferre possit.

¶ Item. Inhibuit Clericis, vt non deferant vestes antè aper-
tas, sine nodis & alijs clausuris, sub pœna perditionis vestis,
& alia

& alia pœna arbitraria, quam Episcopus vel Vicarius in spiri-
tualibus, aut alius Commissarius suæ Paternitatis, imponere po-
terit. Voluit etiam, quòd Prædicatores verbi diuini contra ta-
lem detestandum abusum, & Laicos talibus vestimentis uten-
tes, acriter prædicent: & requirant Laicos, vt talibus inantea
non utantur. Sartoribus autem sub pœna priuationis Eccle-
siasticorum Sacramentorum & sepulturæ inhibeant, vt ultra
huiusmodi vestes non faciant sine nodis vel alijs clausuris: sed
omniò nodos aut alias clausuras faciant sine fraude. Si verò
illi quibus Sartores nodos aut alias clausuras, quibus huius-
modi vestes claudi possint, facient, & illis vti non velint, neq;
utantur, tales huiusmodi pœnæ, carentia Sacramentorum &
sepulturæ Ecclesiasticorum, subiaceant.

¶ Item. Quia diffidentes Clerum in communi vel parti-
culari, secundum dispositionem KAROLINÆ, per Sedem Apo-
stolicam & Sacra generalia Concilia approbatæ, efficiuntur ipso
facto infames, intestabiles, & ad omnes actus honorificos &
legitimos inhabiles: Et quoniam mala voluntas eorum
captiuandi & spoliandi Clericos per huiusmodi diffidationem
apparet, ita quòd per eos non stet, quin omnia mala quæ
possent Clericis inferrent, & cum voluntate ac proposito
maleficia metiantur: Declarauit sua Reuerendissima Pa-
ternitas, tam autoritate Legationis, quàm ordinaria,
quòd tales diffidentes ex ipsa præsentatione sue trans-
missione literarum diffidationum efficiantur ipso facto ex-
communicati: Ita vt ab omnibus scientibus illos diffidas-
se Clerum, tanquam excommunicati denunciari & vitari
debeant, quòdq; etiam ad ciuitates & oppida etiam sub
saluo conductu admitti non debeant: Et si admittantur,
mox & incontinenti à diuinis cessari debeat, tam diu &
quousq; à loco expellantur, aut carceribus mancipentur,

Salua nihilominus pœna arbitraria, ipsis tales admittentibus ad ciuitates, oppida, & alia loca, per Episcopum, aut eius in spiritalibus Vicarium, infligenda.

¶ Item, cùm sacri liquores cum omni ueneratione deferendi sint, statuit & ordinauit dominus Episcopus, ut nullus illos audeat deferre, nisi Sacerdos, qui & Stolum consecratam secum habeat, qua reseruaculum sacrorum liquorum inuoluat.

¶ Item. Quoniam malus inoleuit abusus, quòd Curati, siue alij Sacerdotes, per patronos suos Laicos petere solent ab Episcopo auctoritatem pro se, vel suis subditis, in casibus Episcopalibus.

Item. Absentias ab Ecclesijs: similiter & commendas, aut indulta de celebrando in Altaribus portatilibus, præcipuè in fortalicij: uoluit dictus dominus Episcopus, quòd talia petere uolens, per seipsum aut alium Sacerdotem, vel in scriptis petat & requirat, & omninò desuper concessiones tales ex Cancellaria sua Paternitatis recipiat: Alioquin huiusmodi concessiones habeantur pro non factis. Ita etiam, ut Episcopus vel Vicarius tales utentes huiusmodi assertis concessionibus, super quibus scripturam sub Sigillo Episcopi vel Vicarij in spiritalibus non habent, iuxta arbitrium punire possit.

¶ Præterea innouauit sua Paternitas antiquorum Patrum ordinationes & statuta: Quòd nemo uidelicet audeat erigere noua oratoria sine consensu Episcopi & Plebani, in quorum Diocesi & limitibus Parochie consistunt: quæ si aliter erigantur, habeantur pro locis prophanis, ita etiam ut impunè ab omnibus demoliri possint. Et celebrans in eodem absq; speciali licentia & approbatione Episcopi, efficiatur Irregularis: etiamsi haberet facul-

ret facultatem in portatili in quocungq; loco tuto & honesto celebrandi.

¶ Item. Quòd nemo audeat celebrare in Ecclesia polluta, aut aliàs execrata, neq; sepelire in cœmiterio execrato ante reconciliationem, vel sine speciali licentia siue indulto Episcopi in scriptis desuper, & sub sigillo desuper dandis. Cæterum cum unusquisq; Sacerdotum, maximè qui confessiones audire debet, scire debeat discernere inter lepram & lepram: in virtute sancta obedientia mandauit dictus dominus Episcopus, vt unusquisq; Sacerdos confessiones audire volens, addiscere atq; scire debeat casus per Episcopum Vratislauen. pro tempore generaliter vel specialiter sibi reseruatos, ita vt casuales tales, ad habentes potestatem absoluendi remittere possit. Voluit etiam, quòd Archipresbyteri in hoc adhibere debeant diligentiam, ad sollicitandum omnes, vt ante Quadragesimam unusquisq; huiusmodi casus sciat, alioquin ab audientia confessionis repellatur. Præterea quoniam intellexit sua P. quòd nonnulli impetrantes petitoria, aut alia indulta super questu faciendo ad annum aut aliud tempus, in eorum literis expressatum, lapso tempore nihilominus indultis huiusmodi, siue literis petitorijs vtuntur, quod vlteriùs fieri sua Paternitas sub pœna excommunicationis lata sententiæ, quàm taliter vtentes ipso factò incurrant, inhibuit. Et nihilominus tales ad restitutionem omnium, quæ sic extorserunt, pro fabrica Ecclesiæ suæ Maioris teneantur & obligati existant. ¶ Deniq; cum sua Paternitas magnos clamores multorum Curatorum, decimas aut fertones, siue annonas habentium, audiuit, quòd per piscinas, quæ quotidie fiunt, & hactenus factæ sunt, eis in redditibus suis plurimum detrahatur, cum tales habentes & facientes piscinas, de illis decimam aut aliud æquiualens dare non velint: declarauit sua Paternitas, quòd omnes illi qui huiusmodi piscinas habent, aut faciunt in

Lij futurum,

futurum, qui aliunde ad solutionem decimarum obligati sunt, decimam aut aliam quotam ex piscibus dare tenentur, ac si ibi terra culta esset. Et quòd unusquisq, habens decimas, maldratas, fertones Episcopales, aut annonas, per censuram Ecclesiasticam, aut priuationem Ecclesiasticorum Sacramentorum, huiusmodi decimam aut aliam quotam condignam extorquere possit. ¶ Vltimò dictus dominus Episcopus omnibus Prælati & Canonicis, Collegiarum Ecclesiarum, nec non Archipresbyteris, & socijs suis, quos secum habuerunt, & in huiusmodi Synodo interfuerunt, dedit auctoritatem consuetudinis pro se, & audiendi & absoluendi populum eorum, vsq, ad futuram Synodum: Et quòd ipsi omnibus absentibus huiusmodi auctoritatem nomine suæ Paternitatis dare possint. Illis tamen duntaxat, qui contribuere sint parati, & contribuant pro expensis, per eos qui comparuerunt factis, demptis casibus reseruat. Et nihilominus sua Paternitas dedit facultatem Prælati & Archipresbyteris, etiam sub pœna suspensionis à diuinis, compellendi omnes ad contribuendum pro expensis in Synodo per comparentes factis.

¶ Tandem sua Reuerendissima Paternitas indixit contributionem generalem, Regalem videlicet, pro soluenda & comportanda summa per Serenissimum Dominum Regem, pro reuisione certorum Castrorum à sua Paternitate & Clero suo expectata, quæ iudicio omnium denegari non potuisset: In qua sua Paternitas per deputatos ad hoc constitutos, Capitulo Ecclesiæ Maioris, & alijs Capitulis Ecclesiarum Collegiatarum suæ Diocesis, nec non cuilibet Monasterio specialem quandam instituit, & aliàs generaliter super residuo Clero, sex grossos de marca beneficij taxati, & tres grossos de marca beneficij non taxati, imposuit. Et venerabiles viros, dominos, Georgium Freyberg, & Martinum Lindener Decretorum Doctorem, Canonicos
Ecclesiæ

Ecclesia VVratislauien. in Collectores deputauit, quibus & sua Paternitas pollicita est, se de huiusmodi contributione nequaquam velle intromittere, neq; de ea sibi quicquam vsurpare, sed permittere, quod omnia qua prouenire poterunt, fideliter subleuent, & in vsus deputatos exponant. Cum etiam si omnia imposita Clero, plenè & integrè soluantur, vix medietas summa per Serenissimum Dominum Regem imposita, aut parum ultra colligetur, & adhuc residuum manebit in humeris sua Paternitatis, quod aliunde ex contributione Laicorum sibi subiectorum necesse erit extorquere, & ad loca deputata consignare. Finaliter sua Paternitas dedit benedictionem & indulgentias consuetas.

S Et tantum de Synodalibus statutis Reuerendissimi Patris, Domini RVDOLPHI Episcopi VVratislauien. Apostolica Sedis (pro tunc) Legati.

SEQVVN-

SEQVNTVR MODO CASVS
PER EANDEM SVAM R. P.
RESERVATI.

RUDOLPHVS DEI
GRATIA EPISCOPVS
VVRATISLAVIEN.
APOSTOLICÆ SEDIS LE-
GATVS, &c.

*Uniuersis & singulis, Maioris, & alia-
rum Collegiatarum, Ciuitatis & Diœcesis nostrarum Ecclesia-
rum Prelatis, Canonicis & Vicarijs, Parochialium Ecclesiarum
Rectoribus, perpetuis Vicarijs, Altaristis & Mansionarijs,
ipsorumq; loca tenentibus: nec non Monasteriorum quorum-
cunq; ordinum, seu Religionum, etiam mendicantium, tam
exemptorum quam non exemptorum: Abbatibus, Præpositis,
Prioribus, Guardianis, ceterisq; Religiosis, quibus à Iure, Pri-
uilegio, aut indulto, concessione vel admisione nostris, concessa
est facultas audiendi confessiones, siue Ecclesiasticarum, siue
Religiosarum, siue Secularium personarum: Salutem in Domino.
Cum sit ars artium cura animarum, & inter lepram & lepram scire
discernere, valdeq; expediat ad coercendū malos, & ad eorum
audaciam confringendam, ne in futuris denuò ad ea quæ commi-
serunt prauiora peccata prolabantur, vt in maioribus crimini-
bus non passim ab omnibus absoluantur, sed ad superiores remit-
tantur. Hinc est, quòd sacri Canones, sanctiq; Patres, plures
casus*

casus magis enormium & grauissimorum peccatorum, soli Apostolica sedi, plures solis Pontificibus reseruauerunt: statuentes, ut inferioris gradus Ecclesiastici neminem in talibus casibus auderent absolueri, & animas eorum decipere, sed quod illos huiusmodi criminibus irretitos, ad superiores remittere tenerentur. Hinc est, quod nos RVDOLPHVS, Episcopus prefatus, cupientes, quod vnusquisq; Ecclesiasticus, in Diocesi & ciuitate nostra constitutus, sciat in quibus casibus reseruatis ei liceat absolueri, & in quibus ad alios superiores remittere teneatur & debeat: Prædecessorum nostrorum vestigijs inherendo subscripta duximus ordinanda atq; publicanda, ut ad noticiam totius Cleri ciuitatis & Diocesis nostræ deuenire, & vnusquisq; se secundum hæc regere sciat.

¶ Inprimis prohibemus sub interminatione diuini iudicij & excommunicationis pœna omnibus & singulis, cuiuscunq; status, gradus, præminentia vel conditionis existant, tam Religiosis quàm alijs Sacerdotibus, ne quis aliquem absolueri præsumat, in casu, vel casibus, tam de iure quàm vigore Bullæ per Sanctissimum Dominum nostrum, contra & aduersus hereticos, & eis adherentes, publicatæ, Apostolicæ Sedi reseruatis, & præcipuè in casibus hæresis & adherentiæ hereticorum, & qui eis arma, sal, species, plumbum, equos, & alia prohibita adduxissent. In incendio Ecclesiarum vel Ecclesiasticorum locorum: in violenta & enormi manuum iniectioe in Clericum, maximè Sacerdotem: in Presbytericidio, parricidio, uxoricidio: in Simoniaca prauitate, in ordine vel beneficio commissa: in Apostasia temeraria & notoria. Ac si quis Romipetam scienter, ut eum in peregrinatione sua impediret, cepisset, aut taliter lesisset, quod peregrinationem suam adimplere non posset: in votis ingrediendi religionem, vel seruandi continentiam: & in similibus in Iure expressis, Apostolicæ Sedi specialiter reseruatis,

R

nisi

nisi quis hoc ab Apostolica Sede, aut à nobis tanquam ipsius, & Sanctissimi Domini nostri summi Pontificis cum potestate Legati de latere Legato, specialiter, & ex certa nostra scientia habeat in mandatis: ac nisi mortis articulo: seruatis tamen tunc modis & formis in Iure ac dicta Bulla expressatis, videlicet recepta primitus ab incendiario, sacrilego, homicida, percussore Clerici, raptore, & similibus: promissione vel cautione sufficienti de satisfaciendo ipsi laeso infra certum terminum per se, vel suos heredes, &c. Ab Heretico verò, fautore, receptatore, aut adherente huiusmodi, abiuratione solenni erroris aut fautoria, qui tamen nihilominus perpetuò carebunt Ecclesiastica sepultura: & contrarium faciens, sepeliendo videlicet talem, ipso facto excommunicatus est, &c. Simili modo prohibemus omnibus & singulis, etiam illis, quibus dedimus, ac in futurum dabimus authoritatem absoluedi in casibus Episcopo reseruat: ne quis aliquem excommunicatione maiori innodatum & denunciatum, aut aliàs notorium, neq; usurarium publicum vel occultum, qui ultra valorem duorum florenorum per usurariam prauitatem acquisiuit, absoluat: neq; super male acquisitis per usurariam prauitatem, aut ex fructibus beneficiorum male perceptis concordet: neq; super votis quibuscung, dispenset, aut ea in alia pietatis opera commutet, nisi quis ab Apostolica Sede, aut à nobis tanquam Legato vel Ordinario desuper habeat facultatem. Hos enim casus nobis, aut in spiritualibus Vicario nostro reseruamus, salua tamen in hoc Officialis nostri in absoluedis, quos in foro contentioso ligauit, absoluedi facultate sibi per nos attributa.

¶ Præterea omnibus & singulis supra dictis modo quo supra inhihemus, ne in casibus infra scriptis aliquem absoluant: sed in illis delinquentes, ad duos Pœnitentarios maiores,

maiores, qui nunc sunt, aut in futuro erunt in Ecclesia nostra Vratislaviensis remittant, quos nobis & dictis Pœnitentiarijs referuamus, Blasphemorum, videlicet DEI & Sanctorum, blasphemia tali, quæ ex temeritate & proposito fiat, & plurimum scandalifet. Incendiariorum villarum, domorum & possessionum CHRISTI fidelium, diffidorum Ecclesiasticarum personarum, effractorum & spoliatorum Ecclesiarum: atq; sacrilegorum, libros, calices, & alias res Ecclesiasticas, vel alias subtrahentium. Item, publicorum pradorum & raptorum: Item, homicidarum qui temerariè Catholicos homines occiderunt, & qui consilium vel auxilium ad hoc dederunt & præstiterunt. Item, opprimentium liberos proprios. Item, omnium periurorum cum læsione patris seu proximi. Item, violatorum Ecclesiarum aut Cœmiteriorum: dignum enim est, quòd in huiusmodi grauib; casibus delinquentes, saltem pro reuerentia quæ ad Ecclesiam maiorem Matricem omnium totius Diœcesis Ecclesiarum haberi debet, & in partem pœnitentiæ satisfactionis ad eandem Ecclesiam maiorem, & Pœnitentiarios maiores in ea constitutos, pro absolute recursum habeant, & per omnes illuc remittantur. Eandem tamen potestatem, in huiusmodi & infra scriptis casibus absoluendi, omnibus Prælati & Canonicis Ecclesiæ nostræ confessiones audientibus, præsentibus concedimus & largimur.

In cæteris verò casibus Episcopo referuatis, quorum non modici sunt, excedentes & delinquentes, utpote, Violatores virginum, stupratores Monialium, incestuosos, qui cum consanguineis aut affinibus carnaliter excesserunt: Sodomitas, sortilegos, ac diuinatores, & eos qui pro sortilegijs & diuinationibus eos accedunt, & diuinationes exquirunt: Violatores simplicium votorum pro excessu in hoc commisso, absq; totali absolute a voto, aut commutatione prout supra. Vsurarios occultos,

R ij


qui

qui non ultra duos florenos ex usura acquisierunt: maleficos. Contrahentes matrimonium clandestinè, aut contra interdictionem Ecclesiæ. Item, falsificantes literas & sigilla inferiorum à Papa. Item, falsificantes monetam. Item, non dantes rectam mensuram, & alios, in quibuscumq; casibus Episcopo reseruat, excedentes: exceptis duntaxat casibus suprâ enarratis, & pro maioribus Pœnitentiarijs reseruat. Vicarij, Altarista, & Mansionarij Ecclesiæ nostræ, eorumq; substituti: nec non Canonici Ecclesiæ sancti Egidij, dum tamen omnes predicti in Ecclesia nostrâ, & non alibi, confessiones audiant: nec non & ij siue Religiosi, siue seculares Ecclesiastici sint, quibus absoluendi in casibus Episcopalibus facultatem dedimus, & in futurum dabimus, absoluere possint, dum modò in alijs suprâ positis casibus delinquentes, ad Sedem Apostolicam, aut nos, siue Vicarium nostrum in spiritualibus, aut Pœnitentarios maiores, ut premittitur, remittant: Quod si non fecerint, etiam in illis ultimis casibus absoluendi eis adimimus siue tollimus facultatē. Reliqui verò Sacerdotes, siue Curati, siue Religiosi, aut alijs, qui non sunt Vicarij, Altarista, aut Mansionarij Ecclesiæ nostræ, siue eorum substituti, & quibus non dedimus specialiter facultatem absoluendi in casibus Episcopalibus, etiam in predictis ultimis casibus, absoluere non poterunt nec debent: Sed excedentes in talibus, sicuti in alijs superioribus & grauioribus casibus, ad habentes huiusmodi facultatem remittere tenebuntur.

In quibus omnibus, ut vos omnes ritè agatis, conscientias vestras oneramus per presentes, quas vsq; ad reuocationem vel limitationem aliam per nos in scriptis faciendis durare, & singulis annis in principio, aut saltem ante medium Quadragesima in singulis Ecclesijs in ambonibus publicari volumus: ut nullus siue Ecclesiasticus, siue Secularis, dictorum casuum
igno-

ignorantiam pretendere possit. Datum Vratislaviae,
 quarta mensis Februarij: Anno Domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo primo. Nostro minori sub Sigillo praesentibus appresso.

Hæc de casibus per Dominum RVDOLPHVM Episcopum Vratislaviensem. reservatis. Plures enim alij casus, in quibus confitentes ad Episcopum, & in quibus de Iure communi ad Papam remittuntur, in Synodalibus statutis Domini CONRADI Episcopi Vratislaviensis. unâ cum Canonibus penitentialibus habentur, quos quilibet Sacerdos (iuxta praefatorum Statutorum tenorem) scire, aliâs in eo vix Sacerdotis nomen constabit, ipsaq; Statuta in Ecclesia sua habere, publicare, districteq; observare tenetur.



R iij ACTA

Exemplum Literarum

REVERENDISS. DOMINVM ARCHI-
EPISCOPVM GNESNENSEM.

REVERENDISSIME
IN CHRISTO PATER,
Domine Frater, & Amice
obseruandissime.

STudia, atq; officia nostra, cum debita obseruantia *R*oma Paternitati Vestra deferimus. Certum iam ac persuasum nobis fuit, *R*omam P. Vestram prioribus literis nostris admonitam atq; rogatam, de indicenda Synodo Prouinciali, quam iam pridem tot, & tam graues causa Ecclesie DEI, sacrorumq; Canonum instituta flagitant, seriam cogitationem suscepturam fuisse; Verum ex ipsius literis intelleximus, aliter sibi de eo quam nobis videri. In eis enim *R*oma P. V. collegit causas, cur ab eo cessandum atq; abstinendum sibi videatur. Quae tamen cum à nobis satis diligenter essent perpenſa & examinata, tantum abest, quod cum bona gratia *R*oma P. V. dictum sit, vt nobis satisfaciant, vt si alia grauiores non essent, vel has ipsas ad indicendam Synodum satis iustas & magnas esse existimaremus. Nam quod tempus ab eo nunc alienum esse statuto quodam Prouinciali asseritur, facile perspicimus statutum illud commoditatem spectasse, non autem necessitati, cui omnes leges cedunt, terminum praefixisse. Quot autem & quanta necessitates Synodum hanc flagitent, si minus antea *R*oma P. V. intelligere potuit, in proximis Comitijs si affuisset, intelle-

intellexisset profectò. Animaduertisset enim in quanto periculo atq; discrimine res Ecclesiastica versetur; quibus consilijs atq; machinationibus ab aduersarijs appetatur, quæ insidiæ ab eis ordini nostro parentur; deniq; quid omnes boni, æqui, ac mali, amici atq; inimici in nobis desiderent, quibusq; præsidijs nobis sit opus. Ex quibus R^{ma} P. V. ipsa per se facile indicauisset, ad occurrendum tot, & tantis, partim iam prementibus, partim imminentibus malis, in hoc communi omnium conuentu, in quo potissimum ad salutem Ecclesiæ diuinitus consilia suggeri & suppeditari solent, unicum esse perfugium. Quod si id cauemus, ne decreta Concilij Tridentini exequi necesse habeamus, id certè saluo officio & conscientia nostra facere non possumus. Si enim Ecclesiæ Catholicae membra sumus, aut filij eius esse volumus, id quod ab ea, siue de doctrina, siue de moribus rectè & legitime constitutum est, sine periculo salutis æternæ, vel recusare, vel negligere, neq; possumus neq; debemus. Quod si quid ab ea tale constitutum, decretum uè est, quod Prouinciæ huic non satis rectè accommodari posse videatur, existimandum certè nobis est, eam non nouercam, sed matrem benignam atq; indulgentem esse, facileq; nostri habituram rationem, si modò id, quid sit, quod nobis durum, & huic Prouinciæ non satis commodum esse videatur, illi demonstrauerimus: præsertim verò si id communi omnium consilio atq; autoritate publica factum fuerit. Quin etiam de eo, quod potissimum nos urgere videbatur, literæ à Summo Pontifice per Collegium Ecclesiæ Cracouiensis iam impetratæ sunt, quibus id certo modo remittitur & relaxatur, multitudinè ac tenuitati Sacerdotiorum Prouinciæ istius consulitur. Quominus etiam nobis de cæteris, si quæ talia reperientur, quæ nobis minus seruiant, dubitandum est: itaq; vel ad eam ipsam Concilij Tridentini decretorum executionem, ex ipsiusmet præscripto Synodum hanc, iam olim indictam esse oportuit. Quamobrem iterum etiam à R^{ma} P. V. petimus, eamq; fraternè

S
pro officio

pro officio nostro monemus & hortamur, ut ne diutius in indi-
cenda ea Synodo cunctetur: sed primo quoque tempore, quantum
per leges & consuetudinem antiquam licet, eam communicato
cum ceteris Dominis Episcopis, qui hinc absuerint, consilio, in-
dicat. Causam autem Synodi satis erit in genere complecti;
nimirum, ad correctionem & reformationem morum, & ad
occurrentium presentibus atque imminentibus Ecclesiasticis malis,
quæ postea in Synodis Diœcesanis prolixius explicari operæpre-
tium erit. Neque verò Rmam P. V. vel atas, vel valetudo sua
ab eo absterere debet; ad rem enim tam præclaram, tam
necessario Ecclesiæ DEI tempore, certum habeat diuinitus sibi
vires suppeditatum iri. Plura his de rebus ad Rmam P. V.
essent scribenda, sed quoniam non omnia tunc neque commodè
litteris committi possunt, impetrauimus à Reuerendo Domino
IOANNE Sulkovski, VVladslauen: & Lanciczensi Schola-
stico, ut ad Reuerendiss: P. V. excurrat, cum eaque liberius atque
copiosius nomine nostro agat; cui Rmam P. Vestræ & aures
benignas accommodaturam, & in omnibus fidem habituram
minimè dubitamus. Rmam P. V. benè ac feliciter valere
optamus. Data Thorunio: vigesima nona Decembris.
Anno Domini M. D. LXXVI.

P. U. Rma

Addictissimi Fratres
& Seruitores:

STANISLAVS KARNKOVSKI
Episcopus VVladslauenensis.

PETRVS DVNINVVOLSKI
Episcopus Pr. & Regni Pol:
Cancellarius.

PETRVS COSTKA Episcopus
Culmeñ. manu sua.

REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI, DO-
MINO MARTINO EPISCOPO VVRA-
TISLAVIEN. Nec non Reuerendis & Venerabilibus, Dominis
Prælatiſ, & Canonicis, totiſ; CAPITVLO eiufdem Eccleſiæ;
Domino, Fratribus & Amicis chariſſimis,
ac admodum obſeruandis.

REVERENDISSIME IN
CHRISTO Pater: Reuerendi &
Venerabiles, Domini Fratres &
Amici chariſſimi & obſeruandiſſimi.

Post fraternam officiorum ſedulam com-
mendationem. Admoniti ſumus literis quorundam Reue-
rendiſſimorum Dominorum Epiſcoporum ex Conuentu proximo
Thuronenſi ad nos datis, quorum exemplum hiſ adiunctum
Rzma & Rzdis D: Veſtris mittimus, vt Synodum Prouincialem
ſtatim poſt feſta Natalis Domini cogeremus. Quæ quidem
litera, quoniam breuioreſ, tempuſq; in eiſ arctiuſ, quàm rei
magnitudo poſtulat, præfixum eſt: plura verò, eaſq; maximi
momenti neceſſariò priuſ conſideranda, ponderanda, & Synodo
Prouinciali de more, lege, atq; conſuetudine præmittenda oc-
currerent; collegimus breuiter Capita eorum omnium, de qui-
buſ eorundem rogauimus ſententiam. Ad ea reſpondentes,
cùm nihilominuſ Synodum vrgerent, prout ex reſponſo ipſorum
abundiùſ Rzma & Rzda Dom: Veſtra intelligent; noſtri mune-
riſ eſſe iudicauimus, ſuper iſ quog; iudiciuſ & ſententiam
Rzma ac Rzdarum D: Veſtrarum exploratam habere. Quam-
obrem hortamur ac monemus Dom: Veſtraſ, Rzma & Rzdaſ,
vt communicatiſ ſecum inuicem conſilijs, de loco & tempore
S ij habenda

habenda Synodi, nobis quàm primum suã perscribant sententiam. Et quamuis nobis iam constet, quarum rerum causa, Synodus Sacrosanctum Concilium Tridentinum celebrandas esse constituit, ita ut etiam ijs, quæ in eodem piè, sanctè, & laudabiliter decreta sunt, à nobis nedum abijci, sed ne cogitari quidem rectius quicquam possit, sufficeretq; si ea pro nostro officio, & nos ipsi exequamur, & vniuerso huius Prouincia Clero exequenda proponamus: tamen si quæ alia rationes & causa, recuperandis releuandisq; afflictissimi in hoc Regno status nostri Ecclesiastici iuribus, & libertatibus, reformandæq; vite ac morum disciplina, Dominationibus quoq; Vestris Rmæ & R̄dis in ipsa Synodo tractandæ videbuntur accommode, eas suggerere, libereq; pro suo in Ecclesiam officio nobis perscribere non grauentur. Quo ex illarum, ac reliquorum item Reuerendissimorum Dominorum Episcoporum sententia, tam de ipsa Prouinciali Synodo indicenda, quàm Diæcesanis necessario præmittendis, quid certi statuere possimus. Quod superest, Dominum DEVM precamur, ut conatus omnium nostrum, suo sanctissimo Numine adiuuet, ut ea per nos agantur, quæ ad DEI omnipotentis honorem, & laudem, & gloriam; ad animarum salutem; Ecclesie, atq; Reipublicæ tranquillitatem, & status nostri Spiritualis augmentum pertineant. Cupio valere R̄mam & R̄das D: Vestras quam felicissimè. Data Louicij: decima sexta Ianuarij. Anno Domini M. D. LXXVII.

R̄mæ & R̄darum Dom: V.

Frater & amicus.

FACOBVS VCHANSKI

DEI GRATIA ARCHIEPISCOPUS GNEŃNENSIS, LEGATUS NATVS, & REGNI POLONIÆ PRIMAS, ac Primus Princeps:

Manu sua propria.

Exemplum Literarum

AD

REVERENDISSIMUM
ET ILLUSTRISSIMUM
DOMINUM ARCHIEPISCOPUM
GNESNENSEM, &c.



*Vas Dom: Vestra Reuerendissima
& Illustrissima per familiarem suum,
virum nobilem atq; diligentem, ad me misit literas
die XXVIII. mensis Ianuarij cum omni obseruantia Nissæ
accepi; quibus Dom: V. Ræma atq; Illustris. à me, atq; Vene-
rabili Capitulo Ecclesiæ S. Ioannis VVratislauen. paternè re-
quirit, vt communicatis consilijs, de loco & tempore habende
Synodi, sententiam nostram exponere, tum etiam, si qua alia
rationes atq; causæ, recuperandis, releuandisq; afflictissimi sta-
tus Ecclesiastici iuribus, atq; libertatibus, reformandæq; vitæ
ac morum discipline, in ipsa Synodo tractanda, nobis videantur
accommodæ, eas suggerere, libereq; pro nostro in Ecclesiam
officio, ad Ræmam atq; Illustris. D: Vestram perscribere vel-
lemus. Non omitterem sanè rectè hinc VVratislaviam con-
tendere, ac cum Venerabili Capitulo VVratislauen. de causis
& rationibus Synodi, vti postulatur, consilium capere, nisi me
publica Prouinciæ summi & maximi momenti negotia hoc tem-
pore retardarent, atq; intra biduum in Ducatum Teschnensem
proficisci, iussu & mandato Sacræ CAES: Maiestatis compel-
lerent. Mei tamen officij esse duxi, literas Reuerendissimæ
atq; Illustris. D: Vestra, & Internuncios, honorabiles viros,
S iij Dominum*

Dominum Doctorem Ioachim Rudolphum, & Ioannem Murmellum, Collegiatæ Ecclesiæ Niffensis Præpositum, atq; Canonicos, ad memoratum Venerabile Capitulum VVratislaviæ. sine omni mora Prouincialis Synodi causa mittere; ut, quod nunc præsens apud Ecclesiam Cathedralẽ facere nequeo, per literas atq; Internuncios efficiatur. Hac pro mea erga Dom: V. Ræmam & Illustriss. debita obseruantia, ad benignas Dom: V. Ræmæ & Illustriss. literas, in hac festinatione familiaris sui, cupientis omni celeritate ad eandem Ræmam atq; Illustriss. Dom: V. redire, perscribenda esse duxi. Quam Dominus DEVS ad gloriam nominis sui, & Ecclesiæ salutem atq; incolumitatem, diutissimè conseruare, & Spiritu sapientiæ & fortitudinis clementissimè iuuare atq; gubernare dignetur. Datæ Nisse: XXIX. die Ianuarij. Anno Domini: M. D. LXXVII.


MARTINVS EPISCOPVS

VVRATISLAVIENSIS.

INDICTIO

Don
nost
min
conu
& e
Leop
& C
Gne
char
prid
temp
tam
erro
Sace
& e
pran

INDICTIO
SYNODI PRO-
VINCIALIS.



IACOBUS VCHAN-
SKI: DEI GRATIA
Archiepiscopus Gnesnensis,
Legatus natus, & Regni
Poloniæ Primas.

Reuerendissimis in CHRISTO Patribus,
Dominis, Archiepiscopo Leopoliensi, & Episcopis Prouincie
nostræ Gnesnensis; Nec non Reuerendis & Venerabilibus Do-
minis Abbatibus, Prioribus, Prepositis, Decanis, Archidia-
conis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Canonicis, Capitulis,
& etiam Chori Hebdomadarijs, tam prædictæ Metropolitane
Leopoliensis, quàm & aliarum Cathedralium, Conuentualium,
& Collegatarum, per & infra Prouinciã prædictã nostrã
Gnesnensem ubilibet constitutis, Fratibus nobis in CHRISTO
charissimis, salutem in Domino. Considerantibus nobis iam-
pridem Rempubicã Ecclesiasticã Regni huius, iniquitatẽ
temporum non mediocriter afflictã, & ex sede sua exturba-
tam, Prouinciãq; nostrã ferè totã, varijs & periculosissimis
erroribus, ac falsis dogmatibus refertã & dissectã; nec non
Sacerdotum & ministrorum Altissimi DEI, qui alijs verbo
& exemplo lucere debeant, vitã & mores corruptos & de-
prauatos adeò, vt nedum Regale Sacerdotium in se labefactari
non abhor-

non abhorreant, sed etiam maximam occasionem scandalorum & praedictorum malorum praebent. Saepè in mentem veniebat, & continuè ea sollicitudo animum nostrum exagitabat, ut pro officio nostro Pastoralis, aliquando his malis, quae in Republicam & Prouinciam nostram irrepperunt, aliquo modo mederi, Clerumq; ita informare, quò vitæ sanctitate, virtutum eminentia, morum venustate, operum bonorum efficacia populum antecellant, ipsisq; quibus praesunt, norma & exemplar bene viuendi sint, possemus. Atq; equidem inherendo maiorum Praedecessorum nostrorum vestigijs, & exemplis, omnes cogitationes, omnes deniq; conatus nostros eò semper direximus, & multoties (licet frustra) tentauimus, ut Synodum Prouincialem, à sanctis Patribus, & Canonum conditoribus, ad huiusmodi mala extirpanda, & è vinea CHRISTI euellenda, inuentam & institutam cogeremus. Quam tamen propter multa huius Regni pericula & impedimenta, variisq; & planè quotidianas perturbationes & molestias, ac contrarias aliorum Reuerendissimorum Dominorum, & Venerabilium Capitulorum sententias, ad effectum suum debitum deducere haecenus nunquam potuimus. Verùm cum hanc pestem, non solum non cessare, sed magis ac magis pullulare & serpere, virusq; suum profundere, & radices firmitus figere indies cernimus, necessitate coacti & constricti, de Vestrarum Rmarum Fraternitatum, illorumq; Venerabilium Capitulorum, vel maioris partis consilio & assensu, ad indicendam huiusmodi Synodum Prouincialem, DEO propitio & adiuuante tandem deuenimus, eamq; ad Dominicam Exaudi, quae erit die decimanona mensis Maij, Petriconia, Diocesis nostrae Gnesnensis, iuxta Decreta, & Statuta Prouincialia assignandam, & deputandam duximus, prout in DEI nomine assignamus, & deputamus per praesentes. Quapropter vobis supra dictis Rmis in CHRISTO Patribus, Reuerendisq; & Venerabilibus Dominis, ac omnibus & singulis

& singulis, qui de iure, more, & consuetudine, Synodo Pro-
 uinciali interesse debetis, intimamus, insinuamus, & notifica-
 mus, illosq; fraternè in Domino hortamur, monemus, & requi-
 rimus, vt pro vestra in DEVM omnipotentem, Ecclesiamq;
 suam, pretioso Sanguine Filij DEI, Domini nostri IESV
 CHRISTI, redemptam, pietate & charitate, ac pro debito
 officio suo, huic Synodo Prouinciali, ad diem supra scriptam,
 quam quidem diem pro termino peremptorio, trinag; Canonica
 monitione prauia, praefigimus & assignamus, accedere, ibiq;
 nobiscum de vijs, modis, & remedijs aptis & conuenientibus,
 quibus his malis obuiare, vitamq; & mores Cleri in melius
 reformare, deliberare & cogitare velitis, & curetis. Et vt
 facilius & promptius via perficiendi hoc Sanctum institutum
 nostrum praebeatur, articulos, de quibus principaliter in praedicta
 Synodo Prouinciali tractatio instituetur, ad deliberandum, &
 super eis tractandum in Synodis Diocesanis vestris, qua de
 more & consuetudine Prouinciali praeuenire debent, vobis
 Remis in CHRISTO Patribus, eorumq; Capitulis, vnà cum
 praesentibus mittimus. In cuius rei fidem & testimonium, sigil-
 lum nostrum praesentibus est subimpressum. Actum & datum
 Vladislauia, die prima mensis Aprilis. Anno Domini:
 Millesimo, quingentesimo, septuagesimo septimo.

Ioannes Pakossoyovski

Actorum CVRIÆ
Notarius.

T CAPITA

CAPITA SYNODI PROVINCIALIS

F V T V R A E.

1. **O**bedientia summo Pontifici, ab omnibus, ex præscripto Concilij Tridentini iureiurando est confirmanda.

2. Ea quæ de doctrina Sacra per Concilium Tridentinum sunt constituta, iureiurando itidem ab omnibus sunt approbanda; hæreses detestandæ & damnandæ.

3. Decreta S. Concilij Tridentini acceptanda, & quæ reformationem in se continent, in executionem sunt deducenda; ad eaq; perpetuò conservanda, Synodi tam Prouinciales, quàm Diocesanae suis temporibus ex præscripto Sacri Concilij Tridentini sunt celebrandæ: Itidem & Visitationes per eos, ad quos id de iure pertinet, suis etiam temporibus sunt faciendæ.

4. Si aliqua Decreta, ex Sacro Concilio Tridentino non possent tam facilè & citò executioni demandari, constituendum, vt quàmprimum in executionem ponantur.

5. Quòd si aliquod Decretum in huiusmodi
S. Cons

S. Concilio Tridentino reperiatur, quod huic Provinciae, iniquitate temporum, & malitia hominum, in executionem deduci, ac sine incommodo Ecclesiae accommodari nequeat, consultandum, & publica Synodi autoritate ad Sanctam Sedem Apostolicam referendum, eiq; supplicandum, vt eo nos vel soluere, vel aliqua ratione incommoda relaxare velit, eiusq; rei rationes per Nuncium vnâ cum Oratore Sacrae Regiae Matris à Clero mittendum, cum cæteris Synodi Actis exponendæ.

6. Præsentibus, & iampridem Ecclesiam præmentibus malis remedium quærendum; de Iurisdictione Spirituali penitus eneruata, quoad fieri potest, in pristinum statum reducenda, consultandum: imminentibus verò malis, ne aliquo modo iudiciorum genere Ecclesia oppugnetur periculose, occurrendum.

7. De Templis prophanatis & desolatis; de auro atq; argento per priuatos homines ex eis ablato ac distracto, consultandum.

8. De Ecclesijs Iurispatronatus Regij, ac etiam Spiritualium, per vim occupatis, spoliatis, atq; prophanatis, in pristinum statum vindicandis.

9. Compositionis cum Statu seculari modus atq; ratio ineunda.

10. De retinendo foro & Iurisdictione Spirituali, pro decimis, ac iniurijs personarum Ecclesiasticarum, & aliarum causarum ad forum Spirituale pertinentium.

11. De reformatione bonorum Regularium, quæ partim propter abusum, partim propter desolationem, partim propter alienationem, ad interitum spectare videntur; & de meliori regimine, ac maiori numero fratrum habendo.

12. De ponendis in executionem statuti Provincialibus, aliâs constituti & decretis.

13. De Privilegijs omnium Ecclesiarum, tam Secularium, quàm Regularium, quæ usq; extent, in vnum Volumen redigendis.

14. De deputandis ad conscribendum prouentus & redditus beneficiorum, Metropolitanarum, Cathedralium, Conuentualium, Collegiatarum, & Parochialium Ecclesiarum, vbi erectiones & privilegia defunt; & de fide facienda libris conscriptis.

15. De augendis & reformandis Scholis, præcipuè verò de Schola Cracouiensi.

16. De authoritate primatis stabilienda.

17. De reformatione Cleri.

18. De gra

18. De gratificando Sacrae Regiae MA^{ti}, ex liberalitate Ecclesiastica.

19. Supplicationes solennes cum Litanis per totam Prouinciam, ab indicta Synodo, usque ad finem ipsius, pro felici illius exitu, per R^{mos} Dominos Ordinarios sunt indicendae; Concionatoribusque praecipendum, ut populum ad Sacra diuina audiendum congregatum, ad implorandum donum Spiritus Sancti, omnibus diebus Dominicis & Festiuis exhortentur.

Synodi Dioecesanæ per Ordinarios, ad Synodum huiusmodi Prouincialem instituendæ, & celebrandæ, iuxta morem & consuetudinem antiquam; & ut omnes ac singuli, qui de iure vel consuetudine ad Synodum Prouincialem venire debent, sub poena Synodali infligenda, & irremissibiliter exigenda per praefatos R^{mos} Dominos Ordinarios iniungendum,
 vt per se veniant.

REVERENDISSIMO
DOMINO ARCHI-
EPISCOPO GNESNENSI.

Post officiosam mei commendationem,
obsequia paratissima. Literas Dom: V.
R^{ma} atq; Illustris. quibus insinuationem Synodi,
per Nobilem atq; Generosum STANISLAVM Selikovski,
familiarem suum, ad me transmisit, in Arce S. Ioannis, quò
ex Thermis Landeckianis, propter Sacrum diem Dominicum
concesseram, die XIII. Aprilis debita cum reuerentia atq;
obseruantia accepi. Eas literas, & Capita futura Synodi,
cum diligenter perlegissem, VVratislaviam ad Venerabile
CAPITVLVM Cathedralis Ecclesie S. Ioannis, perferri cu-
raui. Habita deliberatione & communicatis consilijs atq; sen-
tentijs, nostri officij esse duximus, R^{ma} atq; Illustris. Dom:
Vestra pro Paterna pietate, qua Ecclesiam VVratislavi-
ensem benevolentissimè prosequitur, & suarum Ecclesiarum saluti
consulere nititur, ingentes atq; immortales gratias agere.
Quid enim his temporibus magis sanctum & religiosum, ma-
gisq; utile & necessarium, quam Ecclesia Catholica laboranti,
atq; penè oppressa, opem ferre? Quid honestius atq; lauda-
bilius, quam Ordinem Ecclesiasticum, extirpatis omnium vi-
tiorum scandalis, ad priscam & auitam viuendi disciplinam,
atq; integritatem, reuocare? Quid deniq; Sancta Ecclesia
Metropolitana Gnesnensi, ceterisq; Ecclesijs adiunctis magis
dignum, quam Sacrorum Conciliorum, imprimis verò Synodi
Tridentinae decretis ritè & deuotè se accommodare, & tot
Patrum sententijs errores & abusus corrigere? malisq; atq;
incommodis remedia inuenire? Quae omnia inter reliqua
praeclarissima instituta, capitq; in hac S. Synodo pertractanda,
cum magno-

cum
S. E
cora
confe
volu
Sacr
XX.
eiusq
cui n
nulla
anim
in ho
Eccl
turn
Ordi
dis, a
nes,
Si
cusat
de su
tur,
tinun
literi
mea
enim
tract
circa
prim
orare
viro
ea pr
pedir
Const
subie

cum magnoperè necessaria esse videantur: ego pro mea in S. Ecclesiam Gnesnensem obseruantia, non omitterem vel ipse coram, vel certè per ablegatos meos, eiusmodi salutaribus consultationibus interesse; nisi res maxima atq; grauissima voluntatem & desiderium meum impedirent. Cum enim Sacra CAESAREA Maiestas Praga iam digressa, ad XX. diem Maij, ex Lusatia in Silesiam venire statuerit, eiusq; nomine publicus huius Prouincia Conuentus celebrabitur, cui me praesse, ratione muneris Supremi Capitaneatus, oportet; nullam hinc abeundi potestatem mihi reliquam esse video: nec animaduerto, quomodo hac res ablegatis committi possit, cum in hoc Conuentu publico, non tantum de iniurijs & oneribus Ecclesiarum Diocesis Vratislaviensis, verumetiam de diuturnis & grauissimis controuersis, quæ nobis cum plerisque Ordinibus & Statibus Prouincia intercedunt, tandem decidendis, agendum sit, ad quas tam arduas, magniq; momenti actiones, pleno & integro Capitulo opus erit.

Si tamen R^{ma} & Illust: D: V. huic mea, & iusta, & vera excusationi locum dare noluerit (quod tamen minimè fore existimo) de sua benigna sententia me celerrimè certiozem facere dignetur, per Secretarium à Latinis atq; familiarem meum Martinum Hertelium, quem huius solius rei causa isthuc cum hisce literis misi; ut Synodo per Legatos, etiam cum magno Ecclesia mea incommodo atq; periculo, in tempore interesse queam. Non enim dubito, Legatos meos satis adhuc maturè ad Synodalem tractationem peruenire posse; siquidem S. istius Synodi tempus, circa solemnem Pentecostes festiuitatem est institutum, ubi imprimis gratiam Spiritus Sancti, pijs precibus & orationibus exorare Ecclesia consuevit.

Ceterum cum Ecclesia Gnesnensis tot habeat Antistites, viros sapientia & integritate prestantissimos, non dubito, quin ea pro sua prudentia statuerit, quæ Ecclesia saluti maximè expedire videbuntur. Cumq; semper me & Ecclesiam meam, Constitutionibus & Decretis Sacrosanctæ Synodi Tridentinae subiecerim, seduloq; operam dederim, ut omnia illa in hac mea

Dixēsi, quoad eius fieri potuit, executioni demandarentur, in ea quoq; sententia me adhuc esse libentissimè profiteor, & idcirco quicquid in dicta Synodo Petricouensi, Sacrosancto Concilio Tridentino congruum atq; consentaneum pertractatum atq; conclusum fuerit, mihi atq; Ecclesie meae summo perè gratum atq; acceptum est futurum.

Quod ad Letanias atq; supplicationes attinet, operam dabimus, ut nihil ea in parte prætermittatur.

Quod verò inter cetera, de gratificando Regia Ma:ti ex liberalitate Ecclesiastica, Ordines Regni consultandum esse existimant; nouit Dom: Vestra Reuerendiss: atq; Illustrissima, Ecclesiam VVratislaviensem iuxta antiqua pacta atq; fœdera Regni BOHemia subiectam esse imperio, & quemadmodum eius protectione atq; defensione fruitur, ita eiusdem quoq; onera atq; incommoda sustinere. Ita ut Dom: Vestra R:ma atq; Illustrissima, pro sua singulari atq; eximia prudentia facile estimare queat, Ecclesiam VVratislaviensem tot contributionibus antea exhaustam duplici oneri ferendo non esse. Hac cum ita se habeant, Dom: Vestram R:mam atq; Illustriss: maiorem in modum oramus, ut habita ratione temporis, atq; aliorum incommodorum, tum etiam tenuitatis atq; fortunarum nostrarum, pro paterna sua pietate, nos etiam atq; etiam hac in parte excusatos habere non dedignetur.

Dom: Vestram R:mam atq; Illustriss: cui me, & Ecclesiam meam VVratislaviensem officiosè commendo, benè & feliciter in Domino semper valere & gaudere precor & opto.

Date Nissæ: XIII. mensis Maij. Anno Domini: M. D. LXXVII.

MARTINVS EPISCOPVS

VVRATISLAVIENSIS.

REVE-

R
IN
M



E
nec si
S. Ec
prope
in sign
præse
Dom
quide
Able
tione
verò
etiam
mis
ducu
cusat
cense
(quo
scrib

REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI, DO-
MINO MARTINO DEI GRATIA
Episcopo VVratislauien. vtriusq;

SILESIAE Capiteo: Domino Fratri
& Amico obseruandissimo.



EVERENDISSIME DO-
mine Frater, & Amice obser-
uandissime.

*Ex literis R^m & Do: Vestrae satis abunde,
nec sine peculiari mei animi recreatione, tam officiosam erga
S. Ecclesiam Metropolitanam Gnesnensem R^m & Dom: Vestra
propensionem, quam & me, sui amantissimum, benevolentiam
insignem perspexi, caterisq; R^mis Dominis Coepiscopis meis in
praesenti Synodo gratia DEI feliciter congregatis, eam R^m &
Dom: Vestra praeclearam voluntatem significavi. Perincunda
quidem nobis omnibus fuisset ipsius R^m & Dom: vel saltem eius
Ablegatorum praesentia, in hac nostra graui & ardua consulta-
tione, de releuandis Ecclesiae afflictis rebus instituta. Cum
vero nostrum hoc desiderium, & propensam hac in parte ipsius
etiam Vestra Dom: R^m & Dom: voluntatem, maximis atq; grauis-
simis rationibus impediri agnoscimus, non difficile in eam ad-
ducimur sententiam, vt Vestra Dom: R^m & Dom: iusta ac vera ex-
cusationi locum, etsi cum dolore, aquis tamen animis dandum
censeamus. Nec tandem, vt R^m & Dom: Vestra suos Legatos,
(quod sine Ecclesiae suae incommodo atq; periculo non posse fieri
scribit) ad eam Synodum adhuc mittere debeat, non vsq; adeo
necessarium,*

necessarium, vel etiam tempestiuum fore arbitramur; siquidem presentem hanc Synodalem consultationem, breui, DEO adiuuante absoluendam speramus, quam ea vel maxime de causa hoc tempore instituimus, ut quod R^{ma} Dom: Vestra in sua Diœcesi iam pridem sibi cura fuisse ac esse peculiari testatur, nos etiam debite executioni Constitutiones atq; Decreta S. Concilij Tridentini in tota Prouincia nostra, publica huius nostre Synodi auctoritate demandanda statueremus. Interim pro feliciorum nostrorum à Diuina benignitate impetrando progressu, preces ac supplicationes ab vniuerso R^{ma} Dom: Vestra Clero ad DEVM Opt: Max. effundi, cœlestemq; illius misericordiam deuotè implorari vehementer optamus.

Quod verò gratificationem Regiæ Maiestati ex liberalitate Ecclesiastica propositam attinet, excusationem R^{ma} Dom: Vestra hac in re allatam equi boniq; consulimus. Quod superest, mea studia & officia fraterna R^{ma} Dom: Vestra semper addictissima commendo; cui tandem omnia prospera cum diuturna & felici semper incolumitate à Diuina bonitate precor. Data Petricouiae: XXI. Maij. Anno Domini: M. D. LXXVII.

R^{ma} Dom: U.

Frater & Amicus syncerus.

JACOBVS VCHANSKI
DEI GRATIA ARCHI-
Episcopus Gnesnē. Legatus
natus, & Regni POLONIAE
Primas.

REVE-

REVERENDISSIMO
DOMINO MARTINO
EPISCOPO VVRATISL. &ç.

ILLVSTRIS PRINCEPS,
ac Reuerendissime Domine, Do-
mine Frater & Amice obser-
uandissime.

Salutem cum fraternæ beneuolentiæ, & mutuorum officiorum bonæ vicinitatis, commendatione.

Perlubenter sanè omnes in præsentì congregatione Prouinciali, pro Cal: Octobris instituta, audiuimus ex Reuerendo D. Iacobo Brzesniczki, Posnaniensi Canonico, Rzmam Dom: Vestram non modò gratisimè recepisse ea omnia, quæ in Synodo Petricouiensì, communi omnium consensu constituta sunt, sed etiam lubentissimè subscripsisse, ac paratam suam voluntatem, ad ea executioni mandanda, pro officio Comprovincialis Episcopi, apud S. Sedem contestatam esse. Quo nomine & nobis, & Reuerendissimæ Dom: Vestræ ex animo plurimum gratulamur, DEVMq; precamur, piè sancteq; cœpta, gratia sua vt prospere ac secundet, quò optatum ad Religionis & Ecclesiarum incrementum, nostramq; omnium salutem sortiantur effectum.

Et quoniam ex eodem intellexi, Constitutionum Synodi Petricouiensis, à Reuerendiss. Domino Archiepiscopo ita, vtì confirmata per S. Sedem sunt, publicationem per processum, more consueto, siue intimationem, Rzmam Do: Vestram expectare, vt quæ primo quoq; tempore Diæcesanam suam Synodum indicare, ac reformationi operam dare cupiat, ac desideret: ne quid ad tam pium necessariumq; ipsius studium ac institutum desit,

V ij quando-

quandoquidem R^{ma} Dominus Archiepiscopus, ob aduersam
 valetudinem absens, mihi suas partes in hac congregatione
 tam ad publicanda priori in Synodo constituta, quam ad alia
 iuxta articulos conscriptos, tractanda & concludenda subde-
 legauit: mitto R^{ma} D: Vestra decreta predicta Synodi, qua
 presentis congregationis auctoritate, vniuersa Prouinciae pu-
 blicata, atq; ad noticiam, ne quis ignorantiam pratendat in po-
 sterum, omnium deducta sunt. Nec dubito, hoc meum sibi
 Ecclesiaeq; sua gratificandi studium, grato & beneuolo animo,
 quod sane rogo, susceptum iri. Reliqua de quibus nunc etiam
 tractatum est, tum qua nobis à Sede Sancta noster Synodiq;
 Nuncius retulit, perspiciet R^{ma} Dom: Vestra ex Actis huius
 congregationis, vbi publicari, & ad Locordinarios transmitti
 ceperint. Mihi certè, ante alios, quam gratus incundusq;
 sit iste in Ecclesiam & Religionem R^{ma} Dom: Vestra affectus
 & zelus, vix dici potest; cui hoc etiam nomine tanto plus
 omni genere studiorum ac officiorum deuinctus esse cupio &
 opto, ac me ipsius beneuolentiae amicè offero & commendo.
 DEVS R^{mam} Dom: Vestram diutissimè seruet incolumem
 ac felicem. Datum Petricouia: die V. Octobris.

M. D. LXXVIII.

P. U. R^{ma}

Beneuolen: Frater:

STANISLAVS KARNKOVSKI
 Episcopus VVlad: & Pomeraniz.

Manu sua.

Responsoria

Responsoria Epistola

AD

REVERENDISSIMUM
DOMINUM EPISCOPUM
VV LADISLAVIENSEM.

REVERENDISSIME IN
CHRISTO Pater ac Domine,
Domine Amice charissime,
plurimumq; obseruande.

*Paratam complacendi voluntatem, cum
amica nostri commendatione. Cùm iam diu
multumq; aliquid literarum à Rmo Domino VVladislaviensi,
Domino & Amico nostro fraterna benevolentia studio & obser-
uantia semper colendo, speraremus; nos verò quid scribere ad
tantæ authoritatis Episcopum, tantæq; grauitatis Senatorem
Regni Poloniae, non haberemus: En præter Acta & Constitu-
tiones Synodi Prouincialis, Gnesnensis Prouinciae, à S. Sede
Apostolica approbata & confirmata, humanissima eius ad nos
adferuntur litera, quæ non modo diuturnum desiderium no-
strum, singularis benevolentia & amoris significatione exple-
uerunt, verumetiam Ecclesiam nostræ fidei & cura concredi-
tam, nouo & optato genere beneficij affecerunt. Quid enim
à VVladislaviensi optimo Antistite in VVratislaviensem
fratrem deditissimum proficisci poterat gratius, egregia animi
voluntate, & communicatione earum rerum, quæ in Synodo*

V ij

acta, in

acta, in Vrbe approbata, & nuper Petriconia recepta ac publicata fuerunt, praesertim cum hisce temporibus, labascente prisca pietate, & ruente Catholica religionis disciplina, nullum magis sanctum, magisque diuinum suscipi poterat studium, quam Sacri Concilij Tridentini, partim decretis & reformationibus, partim Prouincialis Synodi constitutionibus, Ecclesiarum nostrarum vulnera & morbos fideliter curare, & retenta orthodoxae fidei sinceritate, ac doctrina Christiana veritate, audacissimorum hominum temeritatem reprimere, licentiam incredibilem refranare, collapsa denique & iniuria temporum prostrata instaurare. In quo studio sane tanto maiorem Dom: Vestra Rma meretur laudem atque gloriam, quanto in ipsa Synodo, & in Senatu apud Sacram Maiest: Regiam, & Romae apud S. Sedem Apostolicam, nec non in proxima congregatione Petricouienſi, maiorem curam, diligentiam, & operam totis viribus sedulo impendit. Ad nos quod attinet, vehementer amamus, & mirifice oblectamur in ista tam insigni Dom: V. Rma pietate, sollicitudine atque industria; & ex animo precamur & optamus, ut excellentis ingenij sui, & fortis praestantisque animi talentum, pro Ecclesiae commodis, praecclare sapienterque collocare pergat atque contendat. Nobis summa etiam cura erit, ut ea quae per manus quasi Dom: Vestrae Rma accepimus, in Dicaesana Synodo nostra quamprimum publicentur, & pie sancteque obseruentur. Ad cuius Synodi celebrationem, cum recentioris conuentus Cleri Actis Petricouiensibus egeamus, & eorum nobis spem certam facit Epistola Dom: V. Rma, percupidè ea expectabimus. Quod reliquum est, Rmam Dom: Vestram in CHRISTO semper rectè valere atque gaudere optamus. Datum Nisse: die XVI. Decemb. Anno Domini: M. D. LXXVIII.

MARTINVS EPISCOPVS
VVATISLAVIENSIS.

L I T E R A R V M

R E V E R E N D I S S I M I
D O M I N I E P I S C O P I , & c .

A D V E N E R A B I L E C A P I T V L V M

V V R A T I S L A I E N S E :

Exemplum.M A R T I N V S D E I G R A -
t i a E p i s c o p u s V V r a t i s l a u i e n . & c .

*Scriptis ad nos superiorib. diebus Reue-
rendissimus Dominus Episcopus VVladislauensis, & Decreta
Synodi Prouincialis Petricouensis ad nos transmisit, ut in
nostra Diœcesi ea promulgari, ac Synodus Diœcesana primo
tempore indici possit, quemadmodum Frat: Vestra ex adiuncto
Literarum exemplo cognoscent. Et quanquam Venerabili
C A P I T V L O , & Reuerendissimo Domino Antecessori
C A S P A R O , bone memoria; nec non nobis, magnopere
semper cura fuit, ut Sacrosancta Concilij Tridentini Decreta
& Constitutiones, in Diœcesi VVratislauensi ritè & fideliter
seruarentur: tamen cum deceat, & nostri omnium sit officij,
Metropolitana Ecclesiæ Gnesnensis, & proximè celebrata Sy-
nodi Prouincialis Actis & Constitutionibus reuerenter, in ijs,
quæ Ecclesiæ nostræ conueniunt, se accommodare, Frat: Vestras
beneuolè admonendas esse duximus, vna nobiscum hanc curam
ac sollicitudinem suscipere, ac cogitare velint, an non expediat
in Diœcesana Synodo Decreta illa publicari, & quando eius-
modi Synodus celebrari debeat atq; possit. Data Nissæ:
die vigesima secunda Nouembris. Anno Domini:*

M. D. LXXVIII.

RESPONSIO
 VENERABILIS
 CAPITVLI.



*R*everendissime in CHRISTO Prin-
 cept ac Domine, Domine obseruan-
 dislime: Cùm hisce diebus in Capitulo generali,
 ex laudabili more & consuetudine Ecclesia celebrato, Consti-
 tutiones atq; Decreta Synodi Prouincialis Petricouien. diligen-
 tius paulo reuolueremus atq; considerarem, visum nobis fuit,
 omnia illa, tam sanctè atq; piè, tot sacrorum Antistitum &
 Prælatorum Ecclesia Metropolitana Gnesnensis auctoritatè
 & studio esse decreta, sancita, & recepta, atq; à S. Sede
 Apostolica approbata & confirmata, ut nobis ysdem nihil de-
 mere vel adijcere, sed potius in ijs, qua Ecclesia VVratislauensi
 conueniunt, se reuerenter & studiosè accommodare & confor-
 mare deceat atq; conueniat. Quarum quidem Constitutio-
 num publicationem, quandocung; R^{ma} Celsit: Vestra commo-
 dum videbitur, existimamus fieri posse. Quandoquidem verò
 labascente hisce temporibus prisca pietate, & sancta Religionis
 disciplina corruiete, ad restauranda ea, qua temporis iniuria
 prostrata iacent, & reformanda plerag; præsertim Virginum
 DEO dicatarum Monasteria, maximè sit necessarium, ut
 tandem in hac Prouincia Diæcesana quog; Synodus instituat,ur,
 quam quidem Ecclesiarum visitatio præire solet: rogamus
 maiorem in modum, ut R^{ma} Celsit: Vestra Ecclesiarum huius
 Diæcesis Archidiaconis committere atq; iniungere dignetur,
 quò Vistita-

quò Visitationem consuetam quamprimum instituant, eandemq; ante festum Paschæ, ea qua poterint cura & diligentia absoluant; ut statim illa peracta Synodus conuocari & celebrari, aq; morbis & defectibus Religionis mederi possit. Ut autem Acta & Decreta Synodi Prouincialis Petricouiensis, nobis reddi possent familiariora; rogamus ut R^{ma} Celsit: Vestra eam operam impendere dignetur, ut Nissæ typis excudantur, & plura exemplaria ad nos perferantur. Quibus R^{ma} Celsit: V. nos & Ecclesiam officiosissimè commendamus. Datum VVratislaviae: XXVI. die mensis Ianuarij. Anno Domini: M. D. LXXIX.

CAPITVLVM ECCLESIAE

CATHEDRALIS

VVratislaviensis.

X Exemplum

Exemplum Literarum
REVERENDISSIMI
DOMINI EPISCOPI, &c.
 AD ARCHIDIACONOS: VVRATI-
 SLAVIENSEM, LEGNICEN: GLGOVIEN:
 ET OPPOLIEN.

MARTINVS DEI GRA-
 tia Episcopus VVratislauien. &c.

Cum superiorib. mensibus Reuerendissimus Dominus Episcopus VVladislauiensis, Decreta & Constitutiones Synodi Prouincialis Petricouiensis, à S. Sede Apostolica confirmatas, ad nos transmitteret, vt Synodus etiam Diæcesana institui, ac celebrari posset, non omisimus cum Venerabili
 CAPITVLO Ecclesie nostræ VVratislauiensis ea de re consilium capere, ac deliberare, quomodo id commodissimè, ac quo tempore fieri deberet. Verùm cum Sacrum Concilium Tridentinum, nec non Constitutiones Synodi Prouincialis eum modum celebrandæ Synodi Diæcesanæ prescribant, vt prius generalis Visitatio instituat, qua sana orthodoxaq; doctrina expulsis heresibus inducatur, boni mores conseruentur, prauis corrigantur, populus cohortationibus & admonitionibus ad Religionem, pacem, innocentiamq; accendatur; Vobis id committendum esse duximus, vosq; in DOMINO hortamur, vt Visitationis munus quàmprimùm suscipere, ac ante Pascha festum, si fieri potest, debita cura ac diligentia absolueret velitis; vt Visitatione ritè peracta, statim Synodus conuocari & celebrari, ac morbis & defectibus Religionis, & Ecclesiastica disciplina, menderi possit. Facturi ea in parte rem vestra pietate dignam, Ecclesie vtilem, nobisq; vehementer gratam. Datum Nissa: die 31. Ianuarij. Anno Domini: M. D. LXXIX.

INDICTIO
SYNODI DIOE-
CESANAE.



MARTINVS
DEI GRATIA
EPISCOPVS VVRA-
tislauiensis, &c.

Uniuersis & singulis,

Dominis Abbatibus, Prælatibus, Canonis, Collegiatarum Capitulis, Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, seu eorum vices gerentibus, Monasteriorum Præpositis, Domorum Hospitalium Magistris, Conuentuum Prioribus, Commendatoribus, Mansionarijs, Vicarijs, Altaristis, quarumcunq; congregationum Communitatibus, exemptis, & non exemptis, nostræ Diœcesis Presbyteris, Clericis beneficiatis, alijsq; omnibus in obedientia nostrâ constitutis, Curatis, & non Curatis, quicunq; nostræ Diœcesanæ Synodo ex iure vel consuetudine interesse tenentur, & ad quoscunq; presentes nostræ peruenierint literæ; Salutem in DOMINO. Neminem vestrum ignorare arbitramur, quæ in Synodo Prouinciali, ad Sacrosancti Concilij Tridentini præscriptum, die XIX. Martij, Anno Domini M. D. LXXVII. Petricouia celebrata, pro CHRISTIANÆ Religionis conseruatione acta, sancita, & S. D. N. autoritate confirmata fuerunt. Inter alia autem summi & maximi momenti est decretum, Synodos Prouinciales quolibet triennio, Diœcesanas autẽ quot annis celebrari oportere.

X ij Deside-

Desiderantibus igitur nobis & vehementer cupientibus, superiori Anno primo statim vere, munere nostro hac quoque in parte omni sollicitudine animi diligenter & fideliter fungi, Legatio in BOHEMIAM ad Regni eius Comititia à Principibus & Ordinibus huius Prouinciæ iniuncta fuit, subsequente verò Aestate Prouinciali Principum & Statuum conuentu, post Autumnali tempore alijs, ijsq; varijs & arduis Supremi Capitaneatus SILESIE negotijs impediti, hætenus nostro desiderio satisfacere non potuimus. Archidiaconis interea tamen nostræ Diæcesis iniunximus, ut in suo quisq; Archidiaconatu, Visitationis officium omni fide, studio & diligentia susciperet & obiret. Non omisimus autem Collegiatas Ecclesias, Monasteria quædam Virginum Monialium, Scholas, Hospitalia, & alia pietatis loca per Commissarios nostros visitare, & presentem rerum statum conscribere, ut communi deliberatione tum publicis tum priuatis malis consilia atq; remedia reperire queamus. Ne verò diutiùs res adeò necessaria differretur, visum fuit nobis commodum aliquod & opportunum congregationis tempus eligere, & communi Fratrum nostrorum Venerabilis CAPITULI S. Ioannis consilio, Synodum Diæcesanam, in qua Acta & Constitutiones Synodi Prouincialis publicabuntur, & de malis & incommodis Ecclesiarum consultabitur, ad decimam tertiam Iunij huius Anni Octuagesimi indicere, sicut eandem presentibus literis nostris indicimus. Quamobrem auctoritate muneris nostri Episcopalis & Lociordinarij facultate ac potestate, beneuolè in DOMINO hortamur, paternè requirimus & mandamus, ut ad diem proximè Synodum præcedentem, duodecima videlicet Iunij, vesperti, Vratislaviae omnes & singuli, quibus vel suo, vel Capituli, Communitatis, aut Conuentus sui nomine adesse incumbit, cum plena omnium rerum necessariarum informatione conuenire: subsequenti verò die manè Sacris atq;

Diuinis

Diui
VVR
Prap
Ar
Colle
Seni
suora
desid
bus,
sione
Cleri
& fe
quea
cum
tia,
Syno
& ar
Eccle
pimu
Tride
sicut
mur,
egere
redu
eius
offici
necef
Castr
M.

Diuinis interesse, ac tandem in aula nostra Episcopali
 VVratislaviensi, vos scilicet Domini Abbates, Pralati,
 Præpositi, Magistri, Commendatores, Archidiaconi, &
 Archipresbyteri, citra omnem exceptionem personaliter; ex
 Collegiatis autem, Communitatibus, atq; Conuentibus, duo
 Seniores seu Procuratores, cum pleno reliquorum Confratrum
 suorum mandato, coram nobis comparere velitis: ut iuxta
 desiderium nostrum, de necessarijs Ecclesiarum negotijs & re-
 bus, ad Diuini nominis gloriam, Religionis Catholicæ defen-
 sionem, reliquiarum Ecclesiæ consolationem, sanctamq; totius
 Cleri nostræ Diœcesis disciplinam, deliberationem suscipere,
 & felici fructu, ac optato fine vnâ vobiscum pertractare
 queamus. Nec dubitamus, vos omnes & singulos, qui nobis-
 cum Catholicæ religionis vineam excolitis, pro debita obedien-
 tia, & pietatis amore, non tantum libentissimè hanc nostram
 Synodi indictionem approbaturus, verumetiam pietatis zelo,
 & ardenti Religionis studio daturus operam, ut quæ à matre
 Ecclesia hausimus, à maioribus quasi per manus tradita acce-
 pitimus, iam iterum confirmata, & Decretis Sacri Concilij
 Tridentini renouata, ac stabilita sunt, apertis & obujs vlnis,
 sicut iam pridem in hac nostra Diœcesi factum est, amplectamur,
 atq; veneremur. Et si quæ præscripta reformatione
 egere videbuntur, ad Canonicam rationem atq; disciplinam
 reducantur, malissq; Ecclesiæ, quantum in nobis est, & quoad
 eius fieri potest, rectè riteq; consulatur. Facturi hac in parte
 officium vestrum, Domino DEO gratum, Ecclesiis vtile &
 necessarium, nobis verò in primis optatum. Datum ex
 Castro nostro S. Ioannis: VII. Aprilis. Anno Domini
 M. D. LXXX. Nostro appresso Sigillo.

X iij PRO-

PROROGATIO.



MARTINVS DEI
GRATIA EPISCOPVS
VV RATISLAVIENSIS, &c.

Uniuersis & singulis, Dominis Abbatibus, Prælatiſ, Canonicis, Collegiatarum Capituliſ, Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, ſeu eorum vices gerentibus, Monafteriorum Præpoſitiſ, Domorum Hoſpitalium Magiſtriſ, Conuentuum Prioribus, Commendatoribus, Manſionarijs, Vicarijs, Altariſtiſ, quarumcunq; congregationum Communitatibus, exemptiſ, & non exemptiſ, noſtræ Diœceſiſ Preſbyteriſ, Clericis beneficiatiſ, alijsq; omnibus in obedientia noſtra conſtitutiſ, Curatiſ, & non Curatiſ, quicunq; noſtræ Diœceſana Synodo ex iure vel conſuetudine intereſſe tenentur, & ad quocunq; præſenteſ noſtræ peruenerint literæ; Salutem in DOMINO.

Synodum Diœceſanam à nobiſ ad XIII. Iunij diem, Venerabilis Capituli aſſenſu indiſtam eſſe, ex literiſ noſtriſ voſ intellexiſſe arbitramur; eam cùm iam planè celebrare conſtitueremus, interea à Sacraſſ. CAESAREA Maieſtate, Domino noſtro clementiſſimo, literæ allatæ ſunt, quibiſ eadem XIII. Iunij, Principum, Ordinum & Statuum SILEſIÆ Conuentum indiſci nobiſ clementer mandauit.

Quanquam igitur nihil nobiſ gratiſ accidere potuiſſet, quàm pium & neceſſarium celebrandæ Synodi inſtitutum ſuſcipere; non tamen videre poſſumus, quomodo nobiſ integrum ſit, in re ardua & graui, quæ ob ſalutem & incolumitatem publicam

moram

moram ferre vix potest, CAESAREAE Maiestatis mandato non parere. Iam & Conuentum publicum, & Synodum vno eodemq; tempore habere, turbare potius videretur esse, quam rem feliciter & ex sententia agere: ideoq; & aliam diem, primam videlicet Septembris constituendam & significandam esse duximus, ne interea frustra iter VVratislauriam à vobis suscipiatur. Quamobrem eadem auctoritate muneris Episcopalis, & Locordinarij facultate ac potestate, qua antè Synodum indiximus, his literis nunc denuò beneuolè hortamur, & paternè requirimus, vt omnes & singuli, iam antè in prima Synodi indictione vocati, ad diem proximè Synodum precedentem, vltima videlicet Augusti, VVratislauriam venire, sequenti verò die manè Sacris interesse, & in Curia nostra Episcopali comparere velitis, quò iuxta desiderium nostrum Synodi initium facere, & de Ecclesiarum negotijs deliberationem suscipere queamus. Quod reliquum est, vos omnes & singulos in DOMINO rectè semper valere atq; gaudere exoptamus.

Data Nissae: vltima Maij. Anno Domini:

M. D. LXXX.

Nostro appresso Sigillo.

ACTA

ACTA
DIOECESANÆ
SYNODI:

Anno Domini M. D. LXXX.
Mense Septembri.



QVAM DIOECESANÆ SYNODI dies appropinquaret, Reuerendissimus Dominus EPISCOPVS deposita ciuiliū negotiorum sollicitudine VVratislauiam Nissa proficiscitur, omnesq; animi cogitationes ad rei Ecclesiasticæ curam conuertit; de causis Synodi cum Venerabili CAPITVLO consultat, ieiunia instituit, supplicationes decernit, Letanias deuotè peragit, atq; vt omnia & singula rectè riteq; gererentur, officia aptis & idoneis personis attribuit: Theodoro Lindano Sacræ Theologiæ Doctore, Archidiacono, Vicario in spiritualibus, & Officiali generali, Promotoris Synodi dat partes; Casparo Starkero Canonico, Anagnostis seu Lectoris; Doctore Bonauenturæ Gallo Canonico, Secretarij munus iniungit. In Choro pro Sacerdotibus scamna oblonga disponi curat; nec non spectatoribus, & auditoribus de populo eruditioribus viris, ad ianuas Chori spatium relinquit.

Veniente die Synodi, quæ fuit Calendis Septembris, signo manè campana maiore ter dato, Dominus EPISCOPVS, comitante vniuerso Clero, in Curia Episcopali congregato, Ecclesiam Cathedralem ingreditur, & in sua sede Pontificali, flexo in terram utroq; genu, manibusq; sublati, diuinam opem, gratiam, & benignitatem humilimè precibus implorat; in Sacratio deinde ornamentis Pontificalibus sese induit. Synodi intereà Promotor cuiq; locum in Choro congruentem assignat, & in subsellijs infra Sedem Episcopalem

Episc
cund
suo
Egidi
gione
colau
Griff
Fratr
centij
tos &
Opp
sing
manu
choru

Altar
posit
tare
pto
Miss
Sacr
Hilte
Vine
nam
vniu
Curi
reliq
ftris
nacu
liter
Cath
conf
sam
cufat
suris

Episcopalem stis, primum tribuit locum R. D. Suffraganeo, secundum Domino Præposito, tertium Domino Decano, sic cæteris suo ordine Cathedralis Ecclesiæ, nec non Sanctæ Crucis & Sancti Egidij Prælati ac Canonicis, & Magistro Sancti Matthiæ. E regione verò Dominos Abbates collocat, Ioannem Lubensem, Nicolaum Henrichouensem, Anthonium Camensem, Casparum Grissouensem. Absentium quoq; infirmorum Abbatum Legatos Fratres in arena Vratislauicæ & Sagano Priores. Ioannes S. Vincentij Vratislauicæ Abbas, peregrè aberat. Post hosce locat Prælatos & Canonicos Ecclesiarum Collegiatarum, Glogouicæ maioris, Oppoliensis, Nissensis, Ratiboriensis, & Glogouicæ superioris. Ad singula Abbatum subsellia, imo loco ordinat eorum Sacellanos, manu baculos argenteos gerentes; & Archipresbyterorum, Parochorum, ac reliquam Sacerdotum multitudinem.

Facto silentio, Dominus EPISCOPVS ad summum templi Altare ex Sacrario progreditur; & exhibita Sanctæ Crucis in Altari positæ reuerentia, Antiphonam: *Exaudi nos Domine, &c.* cantare cœpit; & absolutis ijs, quæ in Synodo Diocesana ex præscripto Pontificalis Romani obseruantur, solennem de Sancto Spiritu Missam celebravit. Qua finita, & ornamentis Pontificalibus in Sacrario depositis, ad sedem suam redijt; Ibi tum Doctor Michael Hilteprandus Canonicus, accepta ab Episcopo benedictione, de Vineâ Domini, & operarijs eius, eruditam Orationem habuit latinam. Vbi finem dicendi fecisset, hortante Domino Promotore, vniuersus Clerus, qui Synodi causa conuenerat, Episcopum in Curiam reuertentem comitatur; relictis in Ecclesia Vicarijs, qui reliquam diuinorum officiorum partem cum Scholaribus & ministris absoluerent. Sessioni locus paratus erat in Episcopali cœnaculo maiore, & obseruato priori modo sedendi, lectæ fuerunt literæ Indictionis ac prorogationis Synodi. Deinde ex conscripto Cathalogo fuerunt recitata omnium nomina, qui vel de iure, vel consuetudine, Synodo interesse tenentur. Absentes propter aduersam corporis valetudinem partim literis, partim internuncijs se excusabant; Ex inobedientia verò absentes, quomodò legitimis censuris ac poenis essent subijciendi, Synodi iudicio reseruabantur.

Y

His peractis

His peractis Dn. EPISCOPVS grauem instituit orationem ad vniuersum cœtum, Domino DEO gratias agens, quòd Sanctæ Sedi Apostolicæ adeò curæ ac studio hac nostra ætate fuisset, Sacrosancti Concilij Tridentini remedio pestiferos hæreticorum errores detegere, Decretis perniciosas sectas damnare, & sanam Catholicæ religionis doctrinam ostendere, ac demonstrare: nec non Sanctam Ecclesiasticæ disciplinæ rationem reducere atq; reformare. Hoc summo, & inenarrabili beneficio, siquidem ad publicam Ecclesiarum salutem nihil nobis contingere potuisset præstantius, nihil vtilius, magisq; necessarium: nostri iam officij esse, grati animi studio hunc diuinum Ecclesiæ Theaurum, cum summa animi promptitudine & alacritate amplecti. Sanè quòd hætenus Decreta præfati Concilij Ecclesia VVratilauiensis, adhibita solennitate publica non acceperat, non negligentia, aut inobedientia aliqua id accidisse, sed quòd Metropolitana Gnesnensis Ecclesia, ad cuius rationem Diocesana Ecclesiæ, eidem Metropolitanæ subiectæ, conformare & componere se debent, tum propter diurnam sæuamq; luem, & miserabilem contagionem longè lateq; in Regno Poloniae grassantem, tum propter alias temporum iniurias, & varias Interregni perturbationes, Synodum Prouincialem habere distulisset. Ea nunc celebrata, & feliciter absoluta, eiusdemq; actis & constitutionibus à S. Sede Apostolica approbatis, ac confirmatis, æquum iam esse aliarum Diocesum exemplo, vnanimi consensu, & concordantissimis votis, in hac Sacra congregatione Sacrosanctum Tridentinum Concilium cum singulari desiderio acceptare, Fidei professionem & obedientiam Romano Pontifici sanctè ac religiose præstare: Et quanquam eo ipso statim tempore, quo EPISCOPVS electus esset, fidei professionem verbis & scriptis edidisset, tamen vt alijs Dux & Author esset, eandem professionem iureiurando repetere velle. Flexis igitur genibus, & manu dextra Evangelij libro admota, iterum in professionis fidei verba iurauit. Cæteri postea omnes in genua procubuerunt, dextris pectoribus appositis idem iurarunt sanctissimum pulcherrimumq; professionis fidei Iuramentum, iuxta hanc PII QVARTI, felicitis recordationis, formam.

Ego N.

Ego *N.* firma fide credo & profiteor,
omnia & singula, quæ continentur in SYMBOLO Fidei, quo
sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet:

C R E D O I N V N U M D E U M, P A T R E M
Omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium &
inuisibilium. Et in unum Dominum **I E S U M C H R I -**
S T V M, Filium **D E I** unigenitum, & ex Patre natum ante
omnia secula; **D E U M** de **D E O**, Lumen de Lumine, Deum
verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem
Patri, per quem omnia facta sunt: Qui propter nos homines, &
propter nostram salutem, descendit de cælis; Et incarnatus est de
Spiritu Sancto, ex Maria Virgine & Homo factus est; Cruci-
fixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est;
Et resurrexit tertia die secundum Scripturas; Et ascendit in
cælum, sedet ad dexteram Patris; Et iterum venturus est cum
gloria iudicare vivos & mortuos: Cuius regni non erit finis.
Et in **S P I R I T U M S A N C T U M** Dominum, & viui-
ficantem, qui ex Patre Filioq; procedit; Qui cum Patre &
Filio simul adoratur & conglorificatur; qui locutus est per
Prophetas. Et unam sanctam, Catholicam, & Apostolicam
Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccato-
rum. Et expecto Resurrectionem mortuorum: Et Vitam ven-
turi seculi, **A M E N.**

Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, aliasq; eius-
dem Ecclesie observationes & Constitutiones, firmissimè
admitto & amplector. Item, Sacram Scripturam iuxta eum
sensum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est
iudicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scriptura-
rum, admitto; nec eam unquam, nisi iuxta unanimmem con-
sensum Patrum, accipiam & interpretabor. Profiteor quoq;
septem esse verè & propriè Sacramenta nouæ Legis, à **I E S U**
receptor
Y ij **C H R I S T O**

CHRISTO Domino nostro instituta, atq; ad salutem Humanæ generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet; Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaq; gratiam conferre. Et ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine Sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoq; & approbatos Ecclesiæ Catholice ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solenni administratione recipio & admitto. Omnia & singula, qua de peccato originali, & de Iustificatione, in Sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri DEO, verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium, pro vivis & defunctis; atq; in sanctissimo Eucharistia Sacramento esse verè realiter & substantialiter, Corpus & Sanguinem, unà cum anima & diuinitate Domini nostri IESU CHRISTI, fieriq; conuersionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie, totum atq; integrum CHRISTVM, verumq; Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragijs iuari. Similiter & Sanctos unà cum CHRISTO regnantes venerandos atq; inuocandos esse, eosq; orationes DEO pro nobis offerre, atq; eorum reliquias esse venerandas. Firmisimè assero, imagines CHRISTI, ac DEI paræ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas & retinendas esse, atq; eis debitum honorem ac reuerentiam impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à CHRISTO in Ecclesia relictam fuisse, illarumq; usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnosco; Romanosq; Pontifici, Beati PETRI Apostolorum Principis successori,

successori, ac IESV CHRISTI Vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro. Cetera item omnia, à Sacris Canonibus, & OEcumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio atq; profiteor. Simulq; contraria omnia, atq; Hæreses quascunq; ab Ecclesia damnatas, reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsentì spontè profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inuiolatam, usq; ad extremum vitæ spiritum constantissimè DEO adiuvante, retinere & consueri, atq; à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum; Ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro: Sic me DEVS adiuuet, & hæc Sancta DEI Euangelia.

Vt autem in vnitæte fidei certa & vniformis omnium Clericorum in religione Catholica esset confessio, EPISCOPVS paternè iniunxit Archidiaconis, vt absentes Parochos commodo tempore conuocarent, atq; ab ijs Catholicæ fidei professionem in suo quisq; Archidiaconatu exigeret.

Porrò EPISCOPVS per Synodi Promotorem quærebat: placeret'ne facta iam fidei professione, Sacri Concilij Tridentini Canones & Decreta recipere, & pro decretis publicari, quemadmodum ipse ea lubens volensq; reciperet, & cum summa animi demissione obedienter ijs se subijceret, & publicari desideraret. Tum magno omnium consensu, & hilari acclamatione facta, expressis verbis singuli publicè testati sunt, se omnia, quæ in Sacro Tridentino Concilio tradita, decreta, atq; ordinata essent, inuiolabiliter obferuare, & executioni mandare velle.

Quia verò in nonnullis rebus moderatione opus esse videbatur, placuit accuratè ea de re cogitari, Capita moderationis interea colligi & conscribi, & in sequenti proxima Synodo matura delibe-

ratione de mittendo eius rei causa Legato in Urbem, certi aliquid statui & decerni.

Lectæ postea fuerunt literæ EPISCOPI, ad Venerabile Capitulum, & Archidiaconos, Vratislaviensem, Glogouieñ. Legniceñ. & Oppolieñ. quibus Ecclesiarum visitatio iniuncta erat. Offerebat quisq; susceptæ visitationis suæ annotationes, quæ sicut multa sanè perutilia, & ad Ecclesiarum conseruationem necessaria, ita quoq; infinita damna & grauià incommoda continebant.

EPISCOPVS humanissimis verbis gratias agebat Dominis Archidiaconis, quòd pro sua fide & studio diligenter functi essent officio suo: iam in medium consulerent, qua ratione, via, ac modo, tot tantisq; malis remedia adhiberi possent: non enim satis esse morbos inspicere, sed prudentis Medici munus esse, eosdem fideliter curare, depellere, & sanitatem reuocare.

Prodixerunt etiam Commissarij quidam ab EPISCOPO constituti, libellos quosdam, de visitatione Scholarum, Hospitalium, & aliorum piorum locorum: placuit Synodo, vt quæ rectè constituta essent, salua & integra manerent, si quæ verò meliori ordine & disciplina egerent, ea Dominus EPISCOPVS pro sua prudentia & pietate emendaret, & querelis eorum atq; damnis subueniret.

Postremò EPISCOPVS materiam Visitacionis prosequendo Breue Apostolicum, sibi à R. D. Iacobo Brzefnitio Prouincialis Synodi Legato, ex Vrbe allatum, publicè legi curauit.

Vene-

C



Dia
tuta
pron
per
grit
rect
mim
& m
dolib
eoru
Ciu
tes,
mes,
plim
cessu
laria
erit,
opus
circa
des,

GREGORIUS PAPA XIII.

Venerabili Fratri, MARTINO
Episcopo VVratislauienti.



*Venerabilis Frater, salutem &
Apostolicam benedictionem.*

Cupientes pro nostro Pastoris vniuersalis munere, vt Regulares persona tua Ciuitatis & Diœcesis, iuxta debitam normam, & earum Regularia instituta degant, alijsq; probitatis & virtutis ac pietatis exempla, prout conuenit, præbeant, & quæ à recta disciplina recesserint, per Visitationis, & reformationis remedia, ad pristinam integritatem reducantur. Fraternitati tuæ, de cuius eximio erga rectum honestumq; studio, & Religionis Catholica Zelo, plurimum in DOMINO confidimus; per presentes committimus & mandamus, vt omnes & singulos Abbates, etiam quomodolibet exemptos, nec non illorum Monasteria, & Domos, ac eorum Fratres & Monachos cuiusuis Ordinis existentes, tua Ciuitatis & Diœcesis VVratislauientis, autoritate nostra visites, illosq; & illa, si reformatione indigere cognoueris, reformes, & ad Regularem obseruantiam, debitamq; viuendi disciplinam reducas, ac delinquentes repertos, iuxta eorum excessuum qualitatem, & exigentiam, ac suorum Ordinum regularia instituta, nec non Canonicas sanctiones, prout iuris fuerit, punias, corrigas, & castiges: inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachij secularis auxilio: ceteraq; in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna, facias, mandes, & exequaris. Super quibus omnibus & singulis, tibi plenam &

nam & liberam per easdem presentes facultatem concedimus & potestatem. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis Monasteriorum & Ordinum huiusmodi Statutis, & consuetudinibus, priuilegijs, quoq; indultis, exemptionibus & literis Apostolicis, illis quomodo-libet concessis & confirmatis, ceterisq; contrarijs quibuscungq;. Datum Romae apud Sanctum PETRUM, sub annulo Piscatoris: die VIII. Aprilis. M. D. LXXVIII. Pontificatus nostri Anno sexto.

Cæs: Glorierius.

Quia verò Sacratiss. CAESAREA & REGIA Maiestas Monasteriorū partes sibi vendicaret, visum sibi, Episcopus ait, fuisse, ea de re ad CAES: Maiestatem scribere, eandemq; de S. D. N. paterna sollicitudine, & sua quoq; Monasterijs inseruiendi promptitudine certiorē facere. Cogitarent igitur Domini Abbates, & suam dicerent sententiam, quomodo ista Visitatio cum Monasteriorum fructu suscipi, & pro defensione Ecclesiarum ac bonorum suorum perfici possit, se nulli fore sumptui aut oneri, sed obseruata honesta frugalitate suam fidelissimam integerrimamq; polliceri atq; deferre operam.

Tota iam die continua rerum tractatione consumpta, RZmus EPISCOPVS vniuersis Clericis in Synodo congregatis benignissimis verbis gratias egit, quòd tam placidè & quietè in Templo & in Curia, Synodi huius Diocesanæ negotijs vacassent; monuit autem paternè, & beneuolè etiam atq; etiam rogauit, vt sequenti die manè Campanæ signo dato, ad rem diuinam faciendam redirent, & reliquis Synodi negotijs incumberent. Honestum autem non esse, Dominos Fratres suos, & præcipuos Diocesis suæ Prælatos, nec non reliquos charissimos Consacerdotes ieiunos dimittere; itaq; vniuersam Synodum ad coenam inuitauit. Erat Refectorij loco anterior Sala ad eam instructa & præparata, mensæ munda suppellectile strata; præterea dispositi ministri, qui cum silentio & modestia

modestia sedulo omnibus inseruiebant. EPISCOPVS consuetis precibus mensæ benedixit, & ad oblongioris tabulæ caput confedit: cui à parte sinistra Dominus Suffraganeus, & Venerabile Capitulum, à dextra verò Domini Abbates assedere. Ad reliquas tabulas, obseruata cuiuslibet dignitate ac conditione, suum quisq; capiebat locum. Post cœnam & gratiarum actionem deuotè Domino DEO persolutam, facta EPISCOPO reuerentia, cuncti se in hospitia receperunt.

SEQVENTI DIE, CVM IN CATHE-
drali Ecclesia manè Clero conueniente, Dominus SVFFRA-
GANEVS solenne de Sancto Ioanne Baptista Patrono Ecclesiæ
VVratislauien. sacrum celebrasset, & Dominus EPISCOPVS
cum Clero ad locum, in Curia Episcopali, Synodo assignatum ve-
nisset: magnoperè se dolere ait, quòd adeò repentino & periculoso
Epidemiæ morbo, multos fratres esse correptos intelligeret, qui pri-
diè nullo infirmitatis signo, aut præfagio aliquo existente, benè sani
& salui fuissent; Nouum & lethale hoc genus morbi, nouos & fer-
uentes requirere pietatis orationisq; spiritus, ac deuotæ precationis
ex toto corde gemitus, vt misericors DEVS tam diram sæ-
uamq; pestem hinc inde serpentem, clementissimè auertere digna-
retur.

In locum Archidiaconi VVratislauiensis grauitè ægrotantis,
substituit Promotorem Synodi Doctorem Andream Ierinum Præ-
positum VVratislauensem; per quem præsentium animos, ob
maximum periculum & propinquum discrimen consternatos, ad
continuationem Synodi, verbis temporè & rebus accommodatis
erexit.

Postea EPISCOPVS breuiter ea, quæ priori die dicta, acta,
& comprobata essent, recensuit; & antequam ad res alias progre-
deretur, Ioannes Abbas Iemelnicensis, & alij complures Parochi,
qui tum primum aduenerant, fidei Catholicæ Professionem ede-
bant, & quæ acta iam erant cupidissimè approbabant. Exhibebat
etiam Iemelnicensis literas Abbatis Raudensis, quibus absentiam
suam infirmitate excusabat, & suas partes, si qua in re opus esset,
Iemelnicensi committebat.

Z. Collegerat

Collegerat **EPISCOPVS** ex Sacris Canonum Decretis, & tam ex antiquis, quàm recentioribus Ecclesiasticis constitutionibus, breuissima quædam Capita, Diœcesi VVratisslauenſi apta atq; idonea, quibus Clerici imperitiores, inprimis rudiores Parochi, commodè semper vterentur: honestam probi & religiosi Sacerdotis vitam moresq; tanquam in speculo inspicerent: gregis commissi curam, Ecclesiæ suæ gubernationem, rectam Sacramentorum administrationem, & verbi diuini prædicationem, ante oculos quotidie ponerent atq; considerarent.

Ea capita, vt sub titulo Constitutionum Synodi Diœcesanæ infra extant, vbi fuissent perlecta, **EPISCOPVS** per Promotorem quærebat, an Synodus eiusmodi compendium Clericis suæ Diœcesis vsui fore censeret. Digressi omnes in vicina coenacula, & habita deliberatione, reuersi ad **EPISCOPVM**, responderunt: placere sibi omnia ea, quæ in compendium redacta, & iam lecta essent Capita, & rogare vt typis Nissæ impressa in publicum vsum Clericorum ederentur. Annuit **EPISCOPVS**, & se id lubenti animo facturum humanissimis verbis recepit.

Sermonem deinde **EPISCOPVS** ad Dominos Abbates conuertit, eosq; perbenignè hortatus est, vt religiosam monasticæ disciplinæ vitam, & saluberrimas Ordinis sui regulas, à Sanctis Patribus traditas, quibus solenni professione deuincti atq; adstricti essent, sanctè obseruarent. Plurima vbiq; per Silesiam Monasteria, partim Hæreticorum vi & audacia crepta atq; prostrata esse, partim Religiosorum culpa iacere; Itaq; extremas in tam longa & diuturna calamitate reliquias existentes forti & prudenti animo tuerentur: gregi suo diligenter attenderent: bona Monasteriorum fideliter administrarent: Sacri Concilij Tridentini de Regularibus decreta crebrò legerent, ac custodirent: post mortem Abbatum fratres cauerent, ne quid Monasterium detrimenti caperet: non prauam conſpirationem, sed legitimam & Canonicam obseruarent Electionem, quemadmodum in Constitutionibus Synodorum Prouincialium, de statu Monachorum cautum est. Vbi hæc sunt verba:

DECREVIT

DECREUIT *Sacra Synodus, ut Reuerendissimi Domini Loci ordinarij, officij sui, quod tuendis Iuribus Monasticis debent, sint memores: & ipsi ab intrudendis quouis modo & titulo in illa secularibus personis abstineant, & per alios quoscunq; id fieri non patiantur. Sed occurrente cuiuscunq; Abbatia aut Præpositura Regularis vacatione, præcludendo viam improbo & ambitioso huiusmodi ingressui, statim, ut intellexerint de vacatione Abbatia talis, aut Præpositura, viros maturos, de gremio sui Capituli, pro die Electionis, ad Monasteria sic vacantia mittant, qui huiusmodi Electioni intersint: diligenterq; Conuentus Monasteriorum admoneant, ut ad Abbantias aut Præposituras sic vacantes, viri p̄j, graues, & exemplares, Regularq; periti, ac vite sanctimonia conspicui, & ad res gerendas idonei eligantur & promoueantur.*

Item: VACANTE Abbatia, sine presentia Dominorum de Capitulo eius Diocesis deputatorum, ad Electionem futuri Abbatis procedere deinceps non præsumant.

Ut autem hæc & alia commodiori tempore perlegerent, **EPISCOPVS** Synodorum Prouincialium Constitutiones, per Andream Petricouium Cracouiæ impressas, non tantum inter Abbates, Abbatumq; Legatos, sed per vniuersam Synodum distribuit.

Exposuit etiam **EPISCOPVS**, quomodo ex annalibus Cancellariæ Episcopalis constaret, Electos Abbates, canonicæ Electionis suæ, confirmationem, à Dominis **EPISCOPIS** Antecessoribus suis, cum omni reuerentia postulasse, & per Diploma obtinuisse: verum id à nonnullis iam prætermitti. Viderent sanè, ne spreta **EPISCOPI** autoritate in aliorum potestatem non sine magno suo malo atq; incommodo inciderent.

Silente iam **EPISCOPO**, Domini Abbates assurrexerunt, & petita reuerenter venia in vicinum conclaue secesserunt. Post deliberationem reuersi: Anthonius Camensis Abbas, suo & reli-

quorum Abbatum nomine respondit, se in exordio statim Synodi Protestationem scripto comprehensam, R^{mo} Domino Episcopo exhibere statuisse; verum cum animadvertissent, Pat: S. R^{ma}m grauiissimis Synodi causis occupatam atq; intentam esse, officij & modestiæ suæ fore existimasse, eandem importuna scripti oblatione non inturbare. Rogare autem sese, vt iam illud scriptum EPISCOPVS recipere, publicè legi, & Actis Synodalibus inferere vellet. Quod ad Visitationem, Electionem, & Confirmationem, nec non alios Articulos propositos attineret, non ipsorum tantum personam, sed totius Ordinis sui statum concernere: itaq; spatium deliberandi propter temporis angustiam petere, vt non modò domi cum suis, verumetiam cum absentibus Abbatibus, ijs de rebus consultare, & conuenienti tempore suam sententiam in medium afferre possent.

Lecta deinde fuit Protestatio, quæ hæc continebat verba.

REVERENDISSIME
IN CHRISTO PRÆSVL,
ac Princeps clementissime:

Studia nostra promptissima, vnà cum deuotissimis precibus R^{ma}e CELSIT: Vestræ vnicè commendamus.

Posteaquàm R^{ma} Celsit: V. Diocesanae Synodi celebrationem, ad suscipiendam de rebus & negotijs Ecclesiarum necessariam consultationem indixit, quam op^{er} diuina optimè inchoatam esse plurimum gratulamur; exorandus porro Altissimus, vt omnia consilia, tractata, terminata, ipsamq; totam Synodum, ad sui Sancti nominis gloriam, Ecclesie suæ edificationem, nostramq; deinceps salutem, paternè dirigere, ad optatumq; finem benignè perducere dignetur.

Vocati

Vocati fuere in primis à R^{ma} Celsit: V. reliqui Ecclesiastici viri, qui de iure aut consuetudine in Diœcesana Synodo convenire tenentur, per literas R^{ma} Celsit: V. publicè affixas. Requisivit & accersivit R^{ma} C. V. peculiariter suis literis, ad indictam Synodum quoq; nos Ordinis Cisterciensium, Diœcesanos Abbates nimirum omnes. Etsi beneficium exemptionis meritò nos excusare, & ab hac congregatione excludere posset, eò quòd ijs Priuilegijs, & immunitatibus nostro Ordini antiquitus à Summis Pontificibus indultis, gaudeamus, in quibus explicatè inuenimus, quòd neq; ad Synodum, neq; ad alium quemcumq; Conuentum venire aut comparere teneamur; sed hac in parte per memoratum exemptionis beneficium immediatè Superioribus nostri Ordinis tam Visitatione, reformatione, & si opus fuerit, correctione, subiectos esse: Nihilominus tamè edictis R^{ma} C. V. paruimus, atq; Sacrum hunc conuentum, qui modò celebratur, personaliter accessimus, non de iure vel consuetudine, sed in primis ut Christianæ pietatis officium huic celebritati prestaremus: deinde ut nostram erga R^{mam} C. V. propensam voluntatem, & debitam obseruantiam declararemus: Saluis deniq; nostris Priuilegijs, quibus nihil per hoc præiudicatum esse volumus. Testantur enim nostri Annales haud obscure, nostros prædecesores idem hoc fecisse, ac in Synodi congregatione comparuisse; præuia tamen semper illa protestatione, ne hoc Priuilegijs laudabili nostro Ordini concessis, Diplomatis, ac sigillis Summorum Pontificum roboratis, aliquo modo in præiudicium vergeret: Simili ratione nos, quotquot nostrum de Societate Ordinis Cisterciensium hic præstò sumus, præsentiam nostri quoq; facimus, ut nostram erga R^{mam} C. V. obseruantiam tantummodò ostenderemus: non quòd eo pacto antiqua nostra immunitas, qua meritò utimur ac fruimur, & quæ nobis charissima est, imminuta aut sublata esse debet. Id, si quisquam est, qui in hoc solenni congressu cogitet, vel si

ea res quoquo modo in disceptationem veniret, planum facturi sumus, nos hoc minimè in præiudicium Priuilegijs, aut successibus nostris fecisse; tantum abest, ut nostra hæc facilitas & animi promptitudo, qua merito R^mam C. V. prosequimur, nobis debeat esse detrimento, aut Priuilegijs nostris incommodo: de quibus solenniter & expressè protestamur.

R^ma C. V.

Obsequentissimi.

FR. IOANNES, NICOLAUS,
ANTHONIUS, ET CAS-
SPARVS: Monasteriorum
Lubensis, Henrichouicn.
Cameñ: & Grissovicn.
ABBATES.

Ad ea R^mus Dominus EPISCOPVS subiecit: non alienum sibi quidem videri, ut domi de rebus propositis cogitarent, & cum prudentioribus consilium caperent, eaq; agerent, quæ ad ipsorum salutem, & Monasteriorum incolumitatem pertinerent: sed responsum ultra trimestre tempus non differrent. Protestationem verò sibi non integrum esse, inquit, quavis ratione admittere, Constitutionibus enim Synodalibus expressè cautum esse, ut Abbates Synodo Prouinciali interfint. Cuius hæc sunt verba:

TAMETSI omnes Pontifices, item Abbates Prouincie, nisi legali ac probabili impedimento excusentur, ad Synodum Prouincialem venire iure sint obligati, cui tamen debito pleriq; Domini Abbates contrauenientes, ad eam Synodum venire non curant, sed neq; iustam suæ absentie causam exhibent, qua constet illos venire non potuisse. Decreuit idem eadem

eadem Synodus, ut deinceps omnes Domini Abbates, premoniti tamen ante Ordinariorum literis, ad Synodum veniant, aut verò si omninò venire non possint, aegritudine, aliaue iusta ac legali necessitate impediti, Procuratorem suum, cum sufficienti instrumento publico, impedimentum legale, nec non iurisjurandi in animam mandantis præstandi, mandatum speciale continente, cum aliquo Abbate vicino mittant: Alioqui excusationi locum non esse, contrafacientemq; decem Marcarum pœna, per R^{em}um Dominum Archiepiscopum fabricæ Ecclesiæ Gnesnensis inferenda, summotà omni exceptione, Sacra Synodus mulctandum censuit.

Præterea ex libro Statutorum Synodaliùm constare, Cisterciensis Ordinis Abbates prioribus semper Synodis Diœcesanis interfuisse; mirari itaq; se, ait E P I S C O P V S, quid Dominis Abbatibus in mentem veniret, quòd præter ius & veterem morem atq; consuetudinem inani protestatione vterentur. Hortatus est ergò Synodi Notarium, ut ad Acta referret, & cæteri memoria retinerent, Dominorum Abbatum protestationem prælectam nequaquam fuisse receptam, sed ut ineptam planè reiectam & repudiatam.

Quoniam verò Concilium Tridentinum, capite decimo, Sessione vigesima quinta, de Reformatione statuit, ob malitiosam peccentium suggestionem, & quòd ob locorum longinquitatem personarum noticia, quibus causæ mandentur, usq; adeò haberi non possit, in Diœcesanis Synodis personas, quæ qualitates habeant, & alioqui ad id aptas designari, ut præter Ordinarios locorum, ijs etiam posthac causæ Ecclesiasticæ & Spirituales, ad Ecclesiasticum forum pertinentes, à quolibet Legato, vel Nuntio, atq; etiam à S. Sede Apostolica in partibus delegandæ committantur: Quæsiuit E P I S C O P V S, placeret ne Synodo eiusmodi Iudices ad cognoscendas causas Commissariales ex præscripto Concilij deligere, quot, & quos ad tale munus rectè obeundum aptos & idoneos fore iudicaret. Collatis ea de re sententijs, censuit Synodus satis esse quatuor constitui Iudices, videlicet: Reuerendos viros, & Iuris vtriusq; Doctores,

Doctores, Martinum Rörich, Bonaventuram Galum, Michaelem Hiltbrandum, Canonicos VVratislavienses, & Ioachinum Rudolphum Præpositum Niffensem: Et à Reuerendissimo humiliter postulauit, vt Sanctæ Sedis Apostolicæ Nuntium, apud Curiam Sacræ CAES: Maiest. residentem, hac de re certiolem faceret.

Porro EPISCOPVS multis verbis ostendit, quomodo in omni vitæ genere libido esset turpissima, in Sacerdotibus verò, & viris in sortem Domini vocatis foedissima; Graues semper pœnas ab exordio mundi vsq; , illiciti amoris, & obscœnæ voluptatis fuisse, sicut omnium ætatum historiarum, & antiqua & recentia exempla satis abundè testantur. Iam si quem vltio diuina, & propria criminis conscientia in officio non contineret, vel saltem seueritas Canonum à tam turpi delicto terreret. Magnam quidem Clericorum quorundam, præsertim Parochorum, in hanc Dicecesin irrepisse peruersitatem, quòd occasione rei familiaris, & œconomicæ curæ necessitate, publico vel priuato matrimonij vinculo mulieribus fidem hæctenus dedissent, liberosq; summo cum dedecore & scandalo procreassent: fidem autem Domino DEO & Ecclesiæ datam, irritam fecissent. Obscurare se eos in Domino, respiscerent, & ex præscripto Canonum castè & piè viuerent. Quòd si à turpitudine vitæ, incestis, illegitimisq; nuptijs posthac non abstinere desierint, secundum censuras Ecclesiasticas eorum contumaciam & inobedientiam coërcendam fore. Et ne suspicio aliqua esset, EPISCOPI conuiuentia concubinatus & matrimonia Clericorum, in Dicecesi VVratislaviensi tolerari, EPISCOPVS DEVM & conscientiam suam sanctè contestatus est, se nihil magis in moribus Clericorum, quàm turpissimæ libidinis vitium odisse. Ideò non sine graui austeritate verborum ostendit, se in libidinosos & contumaces Clericos, iuxta præscriptum Sacri Concilij, seuerè animaduertere velle.

Legi ergò curauit

Caput

Caput octauum Sess: XXIII.

Concilij Tridentini.

Quod incipit :

GRAVE peccatum est, homines solutos concubinas habere; grauisimum verò, & in huius magni Sacramenti singularem contemptum admissum, uxoratos quog, in hoc damnationis statu viuere, ac audere eas quandoq, domi etiam cum vxoribus alere & retinere: vt huic tanto malo sancta Synodus opportunis remedijs provideat, statuit, huiusmodi concubinarios, tam solutos, quam uxoratos, cuiuscunq, status, dignitatis, aut conditionis existant, si postquam ab Ordinario, etiam ex officio ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non eiecerint, seq, ab earum consuetudine non seiunxerint, excommunicatione feriendos esse, à qua non absoluantur, donec reipsa admonitioni facta paruerint. Quòd si in concubinato per annum censuris neglectis permanserint, contra eos ab Ordinario seuerè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres siue coniugatae, siue solutae, quae cum adulteris seu concubinarijs publicè viuunt, si ter admonitae non paruerint, ab Ordinarijs locorum, nullo etiam requirente, ex officio grauiter pro modo culpa puniantur, & extra Oppidum, vel Diocesin, si id eisdem Ordinarijs videbitur, inuocato, si opus fuerit, brachio seculari, eijciantur: alijs pœnis contra adulteros & concubinarios inflictis, in suo robore permanentibus.

Et Caput decimumquartum,

Sessiois XXV.

QVAM

QUAM turpe, & Clericorum nomine, qui se diuino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitia sordibus, immundoq; concubinata versari, satis res ipsa, communi fidelium omnium offensione, summoq; Clericalis militia dedecore, testatur. Vt igitur ad eam, quam decet, continentiam, ac vite integritatem ministri Ecclesie reuocentur, populuscq; hinc eos magis discat reuereri, quo illos vita honestiores cognouerit: prohibet sancta Synodus, quibuscunq; Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra, detinere, aut cum ijs ullam consuetudinem habere audeant, alioquin pœnis à Sacris Canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur. Quòd si à Superioribus moniti, ab ijs se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obuentionum, ac prouentuum beneficiorum suorum quoruncunq;, & pensionum, ipso facto sint priuati, quæ fabricæ Ecclesie, aut alteri pio loco, arbitrio Episcopi applicetur. Sin verò in delicto eodem, cum eadem vel alia femina perseuerantes, secunda monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, ac prouentus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui predictis locis applicentur, sed etiam à beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius, etiam vti Sedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur, suspendantur: & si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum ijs etiam versentur, tunc beneficijs, portionibus, ac officijs, & pensionibus quibuscunq; Ecclesiasticis perpetuò priuentur, atq; inhabiles, ac indigni, quibuscunq; honoribus, dignitatibus, beneficijs, ac officijs, in posterum reddantur, donec post manifestam vite emendationem, ab eorum Superioribus cum ijs ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias huiusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint, præter predictas pœnas Excommunicationis gladio plectantur.

MAVO

Nec quænis

Nec quæuis appellatio aut exemptio, prædictam executionem impediatur, aut suspendat, supradictorumq; omnium cognitio, non ad Archidiaconos, & Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat, qui sine strepitu, & figura iudicij, & sola facti veritate inspecta procedere possint. Clerici verò beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habentes, iuxta Decreti & contumacia perseverantiam & qualitatem, ab ipso Episcopo carceris pœna, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, alijsue modis, iuxta sacros Canones, puniantur. Episcopi quoq; (quod absit) si ab huiusmodi crimine non abstinerint, & à Synodo Prouinciali admoniti se non emendauerint, ipso facto sint suspensi: & si perseverent, etiam ad Sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ, etiam per priuationem, si opus erit, in eos animaduertat.

P R A E T E R E A

Synodi Prouincialis Gnesnensis
Caput XXXIII.

QVONIAM nonnulli ex Sacerdotibus, qui in cæteris Catholicos se esse profitentur, eò audacia atq; dementia progrediuntur, ut sibi uxores ducere licere existiment, & de facto nuptias celebrant: Sacra Synodus inherendo Canoni Sacrosancti Concilij Tridentini, declarat talium copulationes esse illegitimas & incestas, & tam eos qui talia audent, quàm illos à quibus tolerantur, sententia anathematis ferit, eamq; ipso facto illos incidisse declarat. Ac si qui ex Dominis Episcopis tales deinceps ausu temerario tolerauerint, ad Summum PONTIFICEM sunt deferendi.

HIS OMNIBVS SECVNDA DIE SYNODI PER-
actis, EPISCOPVS Archidiaconis iniunxit, libellos supplices
& querelas Clericorum colligerent, vt sequenti die de ijs omnibus
consultaretur. Verùm Synodus, dum ex suorum numero multos
languere cerneret, & Epidemiæ malum, atq; periculum quotidie
crescere intelligeret; censuit finem Synodo hoc tempore imponen-
dum, & reliqua negotia in proximam Synodum Diœcesanam,
quam singulis annis tertia die mensis Septembris celebrandam sta-
tuit, referuanda esse. Interea quisq; sua grauamina scripto compre-
hensa Domino Reuerendissimo exhiberet, qui pro sua paterna pie-
tate, & vtriusq; muneris, tam Episcopalis, quam Supremi per
vtramq; Silesiam Capitaneatus autoritate, egentibus consilio &
auxilio subueniret, oppressos Clericos ab oppugnatione aduersario-
rum defenderet, inopes protegeret, omnemq; vim & iniuriam
propulsaret.

Cupiebat quidem EPISCOPVS, de alijs quoq; satis ma-
gni momenti negotijs in præsentī Synodo, quæ ad Ecclesiarum &
Sacerdotum incolumitatem pertinere videbantur pertractare, verùm
in tam periculoso Epidemiæ grassantis statu, communi omnium
saluti consulendum, & tempori cedendum esse existimauit. Vnum
illud etiam atq; etiam considerarent omnes beneuolè hortatus est:
An non Ecclesiastico Ordini conduceret, communi sumptu & ho-
nesto stipendio Virum aliquem eruditum, grauem, atq; prudentem,
apud Curiam Sacræ CAES: Maiest. alere & sustentare, qui in hac
iniuria temporum Ecclesiasticorum hominum causas diligenter fi-
deliterq; ageret atq; promoueret. Nam in hac calamitate multa ple-
runq;, dum brachij secularis auxilio destituantur, concidere, atq;
perire, quæ si fidelem patronum haberent aliquem, qui pro Iustitiæ
administratione sedulo instaret atq; vrgeret, aduersariorum vires
minus crescerent, & Ecclesiarum iura in firmiori statu persisterent,
atq; permanerent.

Reliquum iam esse, vt coena in Episcopali Curia parata,
corpora reficerent, & in hoc nouo morbi discrimine DOMI-

NVM

NVM DEVM ardentissimis precibus inuocarent, tam horrendam, ac detestabilem & improuisam pestem, ob infinita populi peccata, per omnes Europæ partes diffusam, clementissimè depellere vellent.

COEPIT IS MOREVS APVD NOS VIRES SVAS exercere paulò ante Iulij mensis initium, in finem vsq; Augusti, & longè lateq; peruagatus Europam, & vti perhibetur Asiam quoq;, intra breue tempus magnam partem humani generis afflixit. Febris continuæ non admodum intensæ quoddam genus ex putredine natum, & Ichoribus inhærens, Medicis quibusdam videbatur; reclamantibus tamen nonnullis, signis à putredine diuersis, & quòd absq; febre quidam fuissent, permoti. Causam huius, intempestiuæ aëris constitutioni quidam attribuebant, æstuanti namq; præter modum aridoq; Aprili, vnde omnes segetes detrimentum patiebantur, successit Maius frigidior humidiorq;, qui segetes quidem suscitauit, sed in corporibus humanis talem impressionem reliquit. Multos cum inuasisset, horrore concutiebat, quem lassitudo corporis, viriumq; prostratio quædam, seu tædium potiùs laborum & calor subsequabatur, capiti grauedinem, & menti perturbationem cum deiectione appetitus inferens. Quibusdam ex capite, vnde Epidemicum Catarrhum vocabant, humores in pectus defluebant, & tussim excitabant. Aliquos Phrenitides, Anginæ, & faucium inflammationes, alios Pleuritides, & pulmonum inflammationes in discrimen ducebant. Hæc verò Symptomatum dissimilitudo, non nisi ad corporum varietatem referebatur, quæ vehementiora & mitiora fiebant ratione indiuiduorum. Neq; enim sua natura morbus hic adeò exitiosus fuit, sed vel victus intemperantia, vel medicatio incònueniens quosdam ægros extinguebat. Quia verò iuxta Hippocratis sententiam id curatio ostendit, &c. In plerisq; omnibus ad Ichores malum hoc Analogiam habuit, & à natura, vel spontanea Crisi, vel arte ab exercitatis Medicis, medicamentis Diaphoreticis putredinemq; inhibentibus, per sudores & insensibilem perspirationem ægri sunt sanati. In multis

tamen cacochymis hominibus atq; locis, vbi putredo sanguinis
 massam attingit, sanguinis missio, & aliquando vacuantia medi-
 camenta profuerunt. Quæ quidem præsidia etiam plurimis ideò
 fuerunt pernitiōsa, quòd intrò reuocarint ea, quæ natura
 expellere per exhalationes & sudores contendebat.

Nihil in hoc morbo ipsa breuitate fuit melius;
 durauit plerunq; ad quartum diem,
 & vltra decimum vix
 protendebatur.



CONSTI-

C



vel
 at q

vt a
 at q

Cen
 rine

cis,
 salu

bis
 niu


dib
 Sac

mea
 tun

A a
 D H

Euc
 Cir

CONSTITVTIO- NES SYNODI.



MNES ET SINGVLOS, QVI Sacris Ordinibus initiati sunt, in DOMINO hortamur, vt Diuinam Scripturam assidue & diligenter, sicut fideles Ecclesiae DEI Ministros decet, scrutentur, & sacros Sanctorum Patrum libros reuoluant, ex quibus velut perenni fonte, salutaris doctrina & vita praecepta atq; exempla hauriri possint.

LIBRIS Catholicorum publica auctoritate approbatis, vtantur. Hereticorum verò libros, velut venenum fugiant atq; deitent: Omnia verò studiose obseruent, quae in Bulla Cæne DOMINI, cuius exemplum in fine additum est, continentur.

Presbyteri curam animarum habentes, singulis Dominicis, & alijs Festis diebus, nisi iusta de causa impediuntur, salutare Missæ Sacrificium faciant. Diaconi & Subdiaconi, bis singulis mensibus, & semper cum Missæ Sacrificio inseruiunt, communicent: Clerici verò inferiorum Ordinum gradibus iniati, ad minimum semel Sacrosanctum Eucharistia Sacramentum quolibet mensi sumant.

Parochi omnes Catechismum Romanum assidue legant, meditentur, & populo partes Catechismi commodo & opportuno tempore proponant & explicent, hoc videlicet modo: A die Epiphania vsq; ad Quadragesimam, Decem Præcepta DEI. In Quadragesima, de Pœnitentia & Sacramento Eucharistia. Tempore Paschæ, de Baptismo & Confirmatione. Circa festum Pentecostes, de Oratione Dominica. Post festum Trinitatis,

Trinitatis, Symbolum Apostolorum: & sic per Anni curriculum reliquas Catechismi partes absoluant.

Omnia autem diuina Officia in Ecclesiis suis deuotè peragant. Sacramenta reuerenter administrent, populum fideliter doceant, honestatem & grauitatem in verbis ac gestu obseruent: In habitu, incessu, sermone, alijsq; omnibus rebus, nil nisi graue, moderatum, ac religione plenum præ se ferant. Præterea in omnibus munditiem tueantur: in primis verò Sacrosanctæ Eucharistia, Chrismatis, & Sacra Vnctionis Sacramenta, in loco mundo, sub fideli clauium custodia asseruent. Venerabile Sacramentum Eucharistia in Sacrarium super Corporali ponant, & singulis septimanis Sacramenti species ad minimum semel renouent: & cum agroti in adibus communicantur, Mappam reuerentia causa sternant. Singulis annis Chrisma ab Ecclesia Cathedrali, concremato veteri in templo Chrismate, accipiant.

In celebratione quisq; Calicem & Oblata, non circulo aut digitorum vacillatione, sed iunctis & extensis digitis, cruce signet, sicq; benedicat: aliena, inepta, & qua leuitatem aliquam aut hypocrisin sapiunt, fugiat.

Calix & Patina sint aurei, vel argentei, vel stannei: non plumbei, non ærei, aut aurichalcei, vitrei, vel lignei.

Vinum corruptum vel acescens non consecrent: & in consecratione Vino duas vel tres guttas aquæ admisceant, & reliqua diligenter obseruent & caueant, quæ in Missali Romano, vel VVratislauenſi, præscribuntur.

Due vel plures Missæ, ubi voces mutuò se confundunt, in vna & eadem Ecclesia, simul & semel nullo modo decantentur.

Baptisterium, Templum sit decorum & mundum, Cæmisterium tersum, & ab omni parte muro vel lignis circumdatum & munitum.

Singulis

Singulis diebus Dominicis Sal & Aqua benedicatur.

Sacrarium, Altare, Corporalia, Calices, Purificatoria, Vestimenta, & alia ad Sacrificium Missae necessaria, in Ecclesia sint munda & nitida, atq; in sacculis mundis asseruentur; praeter Sacculum verò, Purificatorium quoq; adsit, & super Calicem ponatur: Et Corporalia quidem ac Purificatoria, à Sacerdotibus singulis annis, temporibus certis lauentur.

Quisq; Presbyter Clericum habeat vel Scholarem, qui cum eo Psalmos cantet, Epistolam, lectionem legat, & in Missa respondeat.

Parochi infirmos visitent, Confessionem secretò audiant, DEO & Ecclesiae reconcilient, & iuxta Apostolum communicent, & Oleo sancto inungant. In Confessione autem vultum humilem, & oculos in terram defixos habeant, ne indiscretè & frequentius faciem inspiciant consistentis, & maxime mulieris; sed pacienter audiant, quicquid dixerit, in spiritu lenitatis: Et si opus fuerit, poenitentes iuxta Decem Praecepta examinent.

Quocunq; tempore infans ad Baptismum defertur, sine recusatione Baptisetur: Caueat autem quisq; diligenter, ne per negligentiam ullus infans sine Baptismo, & adultus sine Communionem moriatur.

Sacramentum Eucharistiae nemini praebeant, nisi is prius iuxta Apostoli praeceptum, se ipsum probauerit, & peccata sua priuatim, Ordinario suo Sacerdoti, confessus fuerit.

Vt autem uniformis Sacramentorum administratio in Diocesi nostra obseruetur, volumus iuxta Constitutionem Synodi proxima Prouincialis, vt omnes ad quos Sacramentorum administratio pertinet, Agendorum librum per
Reuerendis:

Reuerendis: Dominum Episcopum VVladislaiensem aditum habeant, & ex eiusdem præscripto omnia faciant atq; procurent.

Antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festiuis, in Ecclesia inter Missarum solennia publicè denunciatur, inter quos matrimonium sit contrahendum. Alterius autem Parochia Sponfos, sine illorum Parochi licentia, matrimonio coniungere aut benedicere nemo audeat; in primis verò caueat, ne intra gradus prohibitos matrimonium vllum contrahatur.

Parochi omnes peculiarem librum habeant, in quem conscribant Annum, Mensẽ, & diem, quando infans Baptisatus sit, qui parentes & patrini fuerint. Simili ratione annotent tempus & nomina eorum, qui matrimonia legitimè contrahunt.

Ad Ieiunia Quadragesima, Quatuor temporum, Vigiliarum, Rogationum, & ad reliqua ex præcepto Ieiunia, diligenter populum hortentur.

In Festiuitatibus annunciandis per annum omnes concordent; ne ex diuersitate temporum scandalum aliquod in populo generetur: excepta Dedicatione Ecclesie, & festo Patroni ipsius Ecclesie.

Rectè autem piè & sanctè Laici facerent, si vnà cum Clericis, festiuitates omnes obseruarent, quæ in libro Constitutionum Synodorum Prouincialium sub titulo de Ferijs expressè sunt: quia verò prauis hominum moribus, consuetudo vel potius corruptela irrepfit, ut pleriq; omnes Laici in quibusdam festiuitatibus, Sacerdotibus in Templo rem diuinam facientibus, domesticis laboribus tam domi quam ruri occupentur: opera pretium esse duximus, certa quadam & præcipua Festa præscribere & annotare, quæ cum omni deuotione populus obseruare, & à seruilibus operibus, in ysdem abstinere debet.

Primò

Primò, Festiuitates CHRISTI, videlicet Natiuitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Christi, Resurrectionis, & Pentecostes, cum duobus diebus immediatè sequentibus, & omnibus diebus Dominicis. Sex festiuitates B. Mariæ Virginis, Annunciationis, Visitationis, Conceptionis, Purificationis, Natiuitatis & Assumptionis. Item festum Angelorum, quod dicitur S. Michaelis. Festum natiuitatis S. IOannis Baptistæ. Item ferias Apostolorum, videlicet Matthiæ, Philippi & Iacobi, Petri & Pauli, Iacobi maioris, Bartholomæi, Matthai, Simonis & Iudæ, Andrea, Thoma, & Ioannis Euangelistæ. Item festum S. Stephani protomartyris, & festum Omnium Sanctorum. Parochis tamen iniungimus, ut ij nihilo minus reliquas etiam festiuitates, ab Ecclesia constitutas, in templo diligenter celebrent, Sacra faciant, & consuetudines quoq; in Festiuitatibus celebrandis, fideliter obseruent.

Singulis Dominicis & cæteris Festiuis diebus, Euangelium plebi suæ annuncient, adiuncta explicatione Sanctorum Patrum & in Ecclesia Catholica Doctorum. Operam quoq; dent, qui populum docent, siue Seculares siue Religiosi sint, ne sibi disfidere, diuersa aut contraria docere; sed in omni Oratione, præsertim publica, sibi constare videantur. Deinde in Concionibus ineptas & aniles fabulas, scommata, & conuitia deuitent, & tali utantur sermonis genere, vel in Sacrosanctorum Mysteriorum, vel Sacra Scripturæ explicatione, ne populus scandalo aliquo offendatur: quin imò cura sit ipsis, singulari quodam verborum delectu in Concionibus uti, ubi præsertim arcana quædam fidei Christianæ dogmata & mysteria explicanda erunt.

Statuimus quoq; ne Predicatores verbi diuini, venditiones domorum, agrorum, aut aliarum rerum, & Suggestu denuncient.

b ij

Parochus

Parochus nullus ad prædicandum verbum DEI admit-
tatur, nisi prius admissus fuerit per Lociordinarium, aut eius
in spiritualibus Vicarium seu Officialem generalem, præmisso
Examine legitimo, & præstito fidei & promissionis iuramento:
nisi adeo perspecta fuerit illius fidei integritas, ut omni suspi-
cione carere videatur.

Nullus Parochus suscipiat Parochiæ alicuius curam vel
administrationem, sine Inuestitura aut Commenda Episcopi.
Nec Sacellanos recipiat absq; Domini Episcopi auctoritate
atq; voluntate, vel D. Officialis, vel alterius cuiusdam Do-
mini Prelati, aut Commissarij Episcopi commendatione.

Nullus Ecclesiam aut Ecclesiasticum aliquod beneficium
à Laico accipiat, interueniente aliquo pacto aut promissione
Ecclesiæ perniciofa, quod videlicet Priuilegijs aut libertatibus
ipsis beneficijs concessis, uti nolit.

Nullus ad forum Seculare se trahi permittat.

Si quis Rector Ecclesiæ Parochialis linguam suorum Pa-
rochianorum ignoret, de alio eiusdem linguæ perito, ut sibi
prouideat necesse erit, ne populus negligatur, vel aliud aliquod
malum eueniat: Ac illi quidem Parochiarum Rectores mo-
nebunt populum, ut quilibet, ubi legitimam attigerit aetatem,
si non sæpius, semel tamen singulis annis peccata sua confitea-
tur, & Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum percipiat.

Quia etiam decet eos, qui habitant in tabernaculis DO-
MINI, & Diuina mysteria tractant, non tantum omnis
impudicitie causam, sed & occasionem & suspicionem à se
remouere, ideo edicimus, ne suspectarum mulierum consuetu-
dine utantur, nec ijs cohabitent, sed ab omni libidinis vitio
abstineant, & continentia ac vitæ integritate, dignos se Sacer-
dotali officio demonstrant. In curru cum fœminis nec domi
nec foris vehantur. Diligenter autem perpendant & conside-
rent, ve-

rent, vetera & noua Decreta Sacrorum Conciliorum & Synodorum tam Prouincialium quàm Diœcesanarum, sub quibus pœnis Sacerdotibus Matrimonia sint prohibita.

Mandamus etiam omnibus, qui Ordinis vel beneficij causa, aut alia ratione Canonicas horas recitare debent, ne vel negligentia, vel socordia, aut quouis pretextu excusationis omittant, quin officium suum, ea qua decet deuotione ac pietate exequantur.

Quia etiam inani & vetita quadam superstitione, quidam sortilegia exercent, characteribus, figuris & nominibus incognitis, febres & alias infirmitates, tam hominum quàm pecudum se sanare posse, imperita multitudini persuadent, eas superstitiosas & damnatas consuetudines planè interdictas esse volumus.

Nulli Ecclesia Parochialis Rectori, absq; iusta & legitima causa, & sine nostro consensu, eandem deserere liberum sit.

Nullus duas vel tres Ecclesias regat, nec duo vel tres vnâ conueniant & conducant.

Nullus in alienam messem falcem suam immittat.

Decimam, Missalia, aut census atq; prouentus alterius, nemo intercipiat.

Nullus Simonia crimen committat.

Nullus Parochus, suspecta religionis prædicatorem, in sua Ecclesia concionem ad populum habere permittat.

Singuli Sacerdotes Parochialium Ecclesiarum, librum habere debent pœnitentialem, vt quandoque iusta de causa pœnitentiam maiorem consueti iniungant.

Nullus Clericus curatus peregrinari extra suam Diœcesin præsumat, absq; nostra licentia speciali.

Et cum intelligamus, plurima beneficia Ecclesiastica propter Ministrorum negligentiam perire, præcipuè verò,

b ij quòd

quòd litera, monumenta, & Priuilegia amittantur: ideò volumus, ut in posterum talia in Sacris adibus afferrentur.

Omnes autem Clerici tonsuram & coronam congruentem, & Ordini suo competentem, ut habeant, seriò iniungimus.

Barbam ne nutriant, & hircorum vel caprarum more prolixiorem gestent.

Cumq; hoc tempore Clerici longè ab antiqua consuetudine & honestate in habitu & vestitu receperint, præcipimus ne in posterum Clerici pallijs vel pileis Laicorum utantur, nisi vel pluuia tempore, vel ubi peregrè aliò discedendum erit. Vestem autem Sacerdotalem & superiorem & inferiorem, simplicem atq; talarem omnes gestent, compositè & aptè ad collum annexam. Caligas non inflatas nec dissectas, calceos crepidasue non inaniter incisas. Vestes sericas, præter Tabin, Atlas, & Lamlet, deferre non audeant, nisi Prælati & Canonici Cathedralis & Collegiatarum Ecclesiarum, in quibus sunt distributiones, & Capitula per annum celebrantur. Alij verò inferiores Canonici, Plebani & Presbyteri quicung; solo Harasio & panno sint contenti. Item indusia ad manum & ad collum crispa, lactucata, aut arte elaborata, vel acu picta, domi non habeant. In omni deniq; vestitu, nouitatem tam elegantia & concinnitatis, quàm negligentia & sordium, diligenter vitent. Arma domi ne ferant, neue personati incedant.

Interdicimus etiam ne Comædias obscenas & inhonestas fabulas, choreas, hastiludia, aut ludicrum & profanum aliquod spectaculi genus agant vel spectent. Decet .n. Clericos, quos propter CHRISTVM spectaculum oportet fieri Mundo, maximè ab ijs spectaculis, quæ CHRISTVM non sapiunt, abstinere. Ideoq; nec tesseris, nec alea, nec chartis, aut villo præterea indecoro ludi genere ludant, nec alijs ludentibus spectatores assistant.

Ab illicitis

Ab illicitis venationibus & aucupijs abstineant.

Luxum in cibo & potu euitent. Non sint ebriosi aut litigiosi. Commessionibus aut minus honestis conuiujs ne interjint: inter epulas & pocula disputationes de Religione deuitent, ne veneranda Mysteria & arcana Fidei profanentur. Cauponas aut tabernas ne ingrediantur, nisi longioris itineris causa: neminem ad aequales haustus inuitent, aut prouocati respondeant; sed sobrie ex doctrina Apostoli uiuant.

Interdicimus autem eis procuratione, aduocatione, patrocinio, & omni actione causarum apud Iudicem Secularem, exceptis causis iure permissis, quo loco scripta licentia à nobis impetretur, quos praeterea in rebus profanis omni Notariatus & Tabellionatus officio prohibemus.

Nullus tutelam curamque, nisi pietatis causa, idque concessionem nostra, suscipiat.

Nullus plura beneficia curata, aut alia incompatibilia contra formam Sacrorum Canonum recipere, & simul retinere praesumat: quod si fecerit, Beneficijs ipsis tam curatis, quam alijs omnibus ipso iure priuatus erit.

Ab omni faenore & usura abstineant. Mercaturam ne exercent, neque in rebus contrahendis se medios vel interpretes adhibeant: Pradia ne conducant: pro nemine spondeant.

Bona Ecclesiae immobilia, vel res preciosas mobiles, item fundationes, Iura aut Priuilegia, ne pignori dent aut accipiant, neque ea commutent, donent, vendant, obligent, aut quocumque modo alienent.

Beneficia sua ere alieno non grauent, aut maiori debito onerent, quam ex perceptione fructuum & prouentuum, vel ex lege vel consuetudine, ad ipsos spectet.

AEdes

Ædes Ecclesiæ, aut earum partes, in quibus ipsi habitant, vel habitare debent, Laicis ne locent, nisi nobis locationis necessitas probetur. Quæ verò ab Ecclesiis seiunctæ sunt, etiamsi Iuris Ecclesiæ non sint, eas nemini, nisi is bonæ existimationis sit, locare audeant.

Mandamus etiam, ut Clerici omni modestia, honestate, & timore DEI, cum pijs, honestis, & sui Ordinis viris, conuersentur.

Domini Archidiaconi, Parochis iniungant, ut Ecclesiarum suarum fundationes, confirmationes, Iura & Privilegia sibi exhibeant, quæ omnia in unum volumen conscribi, & in proximè futura Synodo exhiberi debent.

Volumus etiam, ut in quolibet Archipresbyteratu bis in anno omnes Parochi, in eum, qui à nobis designatus fuerit, locum conueniant, & congregationem suam habeant, in eaq; de scandalis amouendis, & occurrentibus negotijs Ecclesiasticis, præsertim Archipresbytero conferant: Et si qui inter eos reperti fuerint scandalosi ac reprehensione digni, ab Archipresbytero fraternè admoneantur. Quòd si Archipresbyter grauioribus delictis aut scandalis consulere, & eis mederi non poterit, ad Vicarium nostrum in Spiritualibus, vel ad nos ut Locordinarium deferat, vel in Synodo Diœcesana, quæ ex Decreto proxima Synodi, singulis annis tertia die mensis Septembris celebrari debet, proponat.

Item statuimus, ut Clericis curatis & non curatis, testandi libera sit facultas, ita tamen ne turpes & inhonestas personas heredes instituant, aut eis in Testamento vel Codicillo legatum relinquunt. Ad Testamenti autem factionem duos Sacerdotes (si fieri poterit) conuocent, aut alios probos viros, per quos possit de ipsorum constare voluntate. Quòd si quis
exequutores

exequentores non constituerit, Episcopus per se, aut per suos Commissarios, res defuncti iuxta Testatoris voluntatem, in casibus à iure concessis, dispenset atq; disponat: quemadmodum Sacra Tridentina Synodus cap: 8. Sess: 22. De reformatione, decernit. Sin verò quis ab intestato decesserit, debita per defunctum contracta solvantur, familia quæ eidem dum viueret seruierat, satisfiat, & Exequia pro anima defuncti piè & ritè celebrentur. Porrò si quid fuerit residuum, id partim pro fabrica Ecclesie, cui defunctus præerat: partim amicis defuncti distribuatur, aut vsui successoris fideliter conseruetur. Curæ autem nobis crit, ne executio Testamentorum & ultimarum voluntatum quouis modo impediatur, sed vt testantium voluntates extrema, infra tempus à Testatore constitutum, ad effectum fideliter deducantur: Vel si Testator executionis terminum non præfixit, executio ultra vnius anni spacium nullo modo prorogetur. Ceterùm executores ultimarum voluntatum bonis defuncti non se immisceant, nisi priùs Inuentarium præsentibus fide dignis personis, ad eum actum specialiter rogatis & vocatis, ordinè & diligenter conscribi curauerint.

De sepulturis obseruandum est Synodi Prouincialis Decretum, Anno Domini M. D. LVII. die xvij. mensis Maij Petriconiæ factum, cuius hæc sunt verba. Ceterùm quia præsentì hoc nequam seculo, tanta inoleuit plurimorum Secularium audacia, quòd funera Hereticorum, & ab unione siue gremio Sanctæ matris Ecclesie discedentium, seu excommunicatorum, quibus de Iure Ecclesiastica negatur sepultura, temerè, violenter & per potentiam, quibus pauperes Parochi resistere nequeunt, non verentur Ecclesiasticæ inferre sepulture: propter quod Ecclesie ipsæ & Cæmeteria violantur seu execrantur, Sacra itaq; Synodus periculis animarum obuiando, ne propter eiusmodi Hereticorum sepulturas, pij homines à deuotione consuetà remoueantur seu retrahantur, & per intermissio-

nem auditionis diuinorum Officiorum negligentiores ad illam prosequendam postea reddantur: statuit iuri communi innitendo, ut si taliter sepulti, fuerint iudicio Ecclesiastico in vita pro publicis Hereticis pronunciati & declarati, abstineatur omninò in illis Ecclesijs & locis à diuinis officijs, donec ipsi sepulti, si ab aliorum corporibus discerni poterint, inde quoquomodo exhumentur, & foràs eijciantur, ne censura Ecclesiastica vilescat. Si autem discerni non poterint, ex dispensatione Lociordinarij seu eius Officialis, licebit in eis Sacerdotibus & alijs Clericis diuina peragere officia. Quòd si verò declarati non fuerint, Sacra Synodus non putauit à diuinis abstinendum esse: à quibus viuus communicatum est, communicetur & mortuis. Domini tamen Lociordinarij aut eorum Officiales sine mora consulantur in utroq; casu, qui ad requisitionem ipsorum Parochorum aut Clericorum, quorum templa per huiusmodi sepulturam existimarentur fore execrata, iudicabunt pro vt de iure, quidnam faciendum fuerit: dabuntq; licentiam in locis ipsis execratis ad tempus reconciliationis Sacra peragendi. Et nihilominus si videbitur expedire, iudicio cum violatoribus libertatis Ecclesiasticæ agere Domini Locorumordinarij omninò non negligant.

Cum verò hæc Statuta ab vniuerso Clero in Diocesi nostra obseruari & executioni mandari debent, Archidiaconis nostris in Domino iniungimus, vt in suo quisq; Archidiaconatu personaliter annuam visitationem, contentus procuratione debita expensarum suscipiat, de doctrina & moribus Parochorum diligenter inquirat, & si quos sui officij negligentibus aut inobedientibus inuenerit, ad nos deferat, vt in eos, pro personæ & delicti ratione grauioribus vel lenioribus pænis, secundum leges, Canones, Ecclesiæ nostræ Cathedralis Statuta, & præsertim Sacri Concilij Decreta, animaduertere queamus.

F I N I S .

LITERAE PROCESSVS
S. D. N. D. GREGORII PP. XIII.

lectæ die Coenæ Domini: Anni

M. D. LXXVIII.

In nomine Sanctæ & Indiuiduæ TRI-
NITATIS: Patris, & Filij, &
Spiritus Sancti. Amen.

NOuerint Vniuersi, hoc præsens publicum
transumptum inspecturi, quòd nos Hieronymus Matthæius
Protonotarius Apostolicus vtriusq; signaturæ S. D. N. Papæ
Referendarius, Curiaë Causarum Cameraë Aposto. generalis
Auditor, Romanæq; Curiaë Iudex ordinarius, Sententiarumq;
& Censurarum latorum, ac quarumcunq; literarum Apostoli-
carum vniuersalis executor ab eodem S. D. N. Papa deputatus,
vidimus & diligenter inspeximus literas Apostolicas S. D. N.
GREGORII diuina prouidentia Papæ XIII. hodie, qui fuit dies
Iouis Sancti, & Coenæ Domini, & solenniter more solito lectas
& publicatas, eiusq; vera Bulla plumbea cum cordula rubei
croceiq; colorum more Ro: Cu. pendente Bullatas,
& omni suspitione carentes, subse-
quentis tenoris.

*Initium Trans-
sumpti litera-
rum.*

c ij GRE-

GREGORIUS
 EPISCOPVS:
 SERVVS SERVO-
 RVM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium li-
 terarum.



ONSVEVERUNT
 Romani Pontifices, præ-
 decessores nostri, ad re-
 tinendam puritatem religio-
 nis Christianæ, &
 ipsius vnitatem, quæ in
 coniunctione membro-
 rum ad vnum caput,

CHRISTVM videlicet, eiusq; Vicarium,
 principaliter consistit, & sanctam fidelium socie-
 tatem ab offensione seruandam, arma iustitiæ
 per ministerium Apostolatus in præsentī celebri-
 tate exercere.

Excommunica-
 tio & anathe-
 matizatio:

I. Nos igitur vetustum, & solennem hunc mo-
 rem sequentes, excommunicamus, & anathemas-
 tizamus ex parte Dei omnipotentis, Patris, &
 Filij, & Spiritus sancti, auctoritate quoq; bea-
 torum

torum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, quoscunq; Vitas, Vicleuitas, Lutheranos, Zvvin-
 glianos, Calvinistas, Vgonottos, Anabaptistas, Trinitarios, ac omnes & singulos alios Hæreticos, quocunq; nomine nuncupentur, & cuiuscunq; sectæ existant, & eorum credentes, ipsorumq; receptatores, & fautores, & generaliter quoslibet defensores, ac eorundem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra & Sedis Apostolicæ, scienter legentes, aut tenentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis causa, publicè vel occultè, quouis ingenio, vel colore: nec non Schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Rom: Pont. pro tempore existentis obedientia, pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

2. Item excommunicamus, & anathematizamus, omnes & singulos, cuiuscunq; status, gradus, seu conditionis fuerint, & interdiciamus Vniuersitates, Collegia & Capitula, quocunq; nomine nuncupentur, ab ordinationibus, sententijs, seu mandatis nostris, ac Rom. Pont. pro tempore existentium, ad vniuersale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio vel favore appellatum fuerit,

3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Latrunculos maritimos, &

c iij illos

1. In Hæreticos, eorum fautores, libros legentes, & schismaticos, qui ab obedientia Ro: Pont. recedunt.

2. In appellantes à Papa ad futurum Concilium.

3. In Piratas, eorum receptatores.

tores, & fau-
tores.

illos præcipuè, qui mare nostrum à Monte ar-
gentario vsq; ad Terracinam discurrentes, eos
qui in illo nauigant deprædantur, mutilant, in-
terficiunt, rebusuè, & bonis suis spoliant, omnesq;
receptatores eorundem, & eis auxilium scienter
dantes, vel fauorem.

4. In rapiètes
naufragorum
bona, aut scien-
ter ab alijs ra-
pta accipientes.

4. Item excommunicamus, & anathematiza-
mus omnes, & singulos, qui Christianorum quo-
runcunq; nauibus tempestate in transuersum (vt
dici solet) iactatis, naufragium passis, aut etiam
submersis, siue in ipsis nauibus, siue ex eis dilapsa,
& in mari, vel littore inuenta, cuiuscunq; generis
bona, tam in nostris Tyrreni, & Adriatici, quàm
in quibuscunq; alijs cuiuscunq; maris regionibus,
& littoribus rapuerint, aut scienter ipsi sibi acces-
perint, aut ab alijs rapta, seu accepta scienter re-
ceperint: ita vt nec etiam ob quodcunq; priuile-
gium, consuetudinem, aut longissimi etiam immen-
sabilis temporis possessionem, seu alium quem-
cunq; prætextum excusari possint.

5. In imponen-
tes noua Peda-
gia, & gabel-
las, uel eas au-
gentes.

5. Item excommunicamus, & anathematiza-
mus omnes, qui in terris suis noua pedagia, seu ga-
bellas, ad id potestatem non habentes, imponunt,
vel augēt, aut imponi vel augeri prohibita exigūt.

6. In falsifican-
tes literas Apo-
stolicas, aut sup-

6. Item excommunicamus, & anathematiza-
mus omnes falsarios Literarum Apostolicarum,
& in forma Breuis, ac supplicationum gratiam, vel
iustitiam

iustitiam concernentium, per Romanum Pont. vel S. R. E. Vicecancellarium, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Rom: Pont. signatarum, aut sub nomine eiusdem Rom: Pont. seu Vicecancellarij, aut gerentium vices prædictorum signantes supplicationes easdem: Extendentes constitutionem fe. re. Innocentijs Papæ iij. quæ incipit. Ad falsariorum. cum omnibus pœnis in ea contentis, ad falsificantes, seu mutantes supplicationes, per nos, seu de mandato nostro signatas & datatas, sine nostra, aut Datarij nostri licentia.

7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaq; alia metallorum genera, atq; bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes tam ex ipso canape, quam ex quacunq; alia materia, & ipsam materiam, aliaq; huiusmodi, quibus Christianos impugnant, deferunt Saracenis, Turcis, & alijs Christi nominis inimicis: Nec non illos, qui per se vel alium, seu alios, de rebus Christianæ Reip. statum concernentibus, in Christianorum perniciem & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, certiores faciunt, illisq; ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodo libet præstant: Non obstantibus quibuscunq; priuilegijs, & concessioni

plicationes à quocunq; auctoritatem habente signatas.

7. In deferentes arma & alia bellico usui apta ad Turcas, & Reip: statum concernentia prædictis enunciantes.

cessionibus, quibuscunq; Principibus & Dominis, siue priuatis personis, per nos & Sedem prædictam hæctenus concessis, quæ illis nolumus in aliquo suffragari.

8. In impedi-
entes eos, qui
uictualia, & a-
lia necessaria
Romam con-
uehant.

8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impediētes, siue inuadentes eos, qui uictualia, seu alia ad vsum Romanæ Curiaē necessaria adducunt, ac etiam eos qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel deferantur, impediunt, seu perturbant, vel qui talia fieri faciunt, vel facientes defendunt, cuiuscunq; fuerint ordinis, præeminentiaē, conditionis & status, etiam si Pontificali, vel Regali, aut alia quauis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

9. In eos, qui
ex proposito
Romipetas of-
fendunt.

9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, ex proposito interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu Peregrinos ad Urbem causa deuotionis, seu peregrinationis, & prorsus omnes alios ad Sedem Apostolicam accedentes, vel apud eam morantes, aut recedentes ab ipsa, & illis dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

10. In eos, qui
sine iurisdictione
in Curia
commorantes
uexant.

10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui non habentes in eadem Curia iurisdictionem ordinariam vel delegatam, eius prætextu capiunt, spoliant, detinent morantes in eadem, vel qui talia fieri mandant.

11. Item

11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, verberantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisq; Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eosdem eñcientes à suis Dioccesibus, territorijs, terris, seu dominijs, eaq; mandantes, vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium, consilium, vel fauorem.

12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se vel alium, seu alios, quascunq; personas Ecclesiasticas, vel seculares, ad dictam Curiam super eorum causis & negotijs recurrentes, illasq; in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumq; gestores, Advocatos, Procuratores ipsorum, seu etiam Auditores, vel Iudices, super dictis causis, vel negotijs deputatos, occasione causarum, vel negotiorum huiusmodi verberant, mutilant, vel occidunt, seu bonis spoliant, vel qui per se vel alium, seu alios, directè vel indirectè prædicta exequi vel procurare, aut in eisdem consilium, auxilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunq; præmiæ & dignitatis fuerint: Ac illos, qui literas Apostolicas, & in forma Breuis, tam gratiam, quam iustitiam concernentes, ac etiam citationes,

d inhibitiõs

11. In offendentes S. R. E. Cardinales, & alios Prælatos.

12. In eos, qui ad Romanam Cur. recurrentes offendunt, aut executionem literarum Apostolicarum impediunt, & ad gratias impetrandas accedentes prohibent.

inhibitiones, sequestra, monitoria, processus, executoriales, aliaque decreta quaecumque a nobis, & Sede Apostolica, seu Legatis, Nuntiis, Praesidentibus, Camerae Apostolicae Auditoribus, & Commissariis, aliisque iudicibus, & delegatis Apostolicis emanata, & quae pro tempore emanauerint, simpliciter, vel sine eorum beneplacito consensu, vel examine, executioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii super huiusmodi literarum, & processuum executione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti cuius interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, aut impediri vel prohiberi procurant: Ac Notarios, Executores, & Subexecutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum praedictorum, capiunt, carcerant, & detinent, vel capi, carcerari & detineri faciunt: Quicque etiam quibuscumque personis in genere vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis vel literis impetrandis, ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas vel literas a dicta Sede impetrent, seu impetratis utantur, directe vel indirecte prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarium, seu Tabellionem, vel alias quomodolibet retinere praesumunt.

13. In Officialibus Principum

13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & singulos Cancellarios, Vicecancellarios,

larios, & Consiliarios ordinarios, & extraordinarios, quorumcunq; Regum & Principum, ac Præsidentes Cancelliarum, Consiliorum, & Parliamentorum: nec non Procuratores generales eorundem, vel aliorum Principum secularium, etiam si Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunq; præfulgeant dignitate, quocunq; nomine nuncupentur: aliosq; Iudices tam ordinarios quam delegatos, nec non Archiepiscopos, Episcopos, Abates, Commendatarios, Vicarios, & Officiales, qui per se vel alium, seu alios, auctoritate propria & de facto quarumcunq; exemptionum, vel aliarum gratiarum, & Literarum Apostolicarum prætextu beneficiales, & decimarum, ac alias spirituales, & spiritualibus annexas causas ab Auditoribus, & Commissarijs nostris, alijsq; iudicibus Ecclesiasticis auocant, illarum uè cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Conuentus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam iudices interponunt, ac partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris, & poenis in illis contentis absolui statuunt, &

secularium, & Prelatos, qui causas Ecclesiasticas, à iudicibus Apostolicis auocant, & actores ad reuocanda impetrata compellunt.

d ij compels

durant

compellunt, vel aliàs executionem literarum Apostolicarum, vel executorialium processuum, ac decretorum prædictorum, etiam sub prætextu viorum lentiæ prohibendæ, vel quòd ad nos informandos, vt ipsi dicunt, supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi ipsi supplicationes huiusmodi coram nobis, & Sede Apostolica legitime prosequantur, quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum præstant.

14. In iudices
seculares, qui
Ecclesiasticas
personas ad sua
Tribunalia tra-
hant: quiq; Ec-
clesiasticam li-
bertatem tol-
lunt, uel in ali-
quo lædunt.

I 4. Quiuè ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam quorumcunq; personas Ecclesiasticas, Capitula, Conuentus, & Collegia Ecclesiarum quarumcunq; coram se ad eorum tribunal, audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter iuris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè vel indirectè, quouis quæsito colore: Nec non qui Statuta, ordinationes, constitutiones pragmaticas, seu quæuis alia decreta in genere, vel in specie, ex quouis causa, & quouis quæsito colore, ac etiã prætextu Literarum Apostolicarum vsu non receptarum, seu reuocatarum, vel cuiusuis consuetudinis, aut priuilegij, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo restringitur, seu nostris, & dictæ Sedis, ac quarum

quarūcūq; Ecclesiarū iurib. quomodolibet directè vel indirectè, tacitè vel expressè præiudicatur.

15. Nec non qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosq; superiores, vel inferiores Prælatos, & omnes alios quoscūq; iudices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet impediunt, quo minus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscūq; utantur, secundum quod Canones & sacræ constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt.

15. In impedi-
entes Prælatos,
ne sua iurisdic-
tione utantur.

16. Quiuè iurisdictiones, seu fructus, redditus, & prouentus, ad nos & Sedem Apost. & quascūq; Ecclesiasticas personas, ratione Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quauis occasione, vel causa, sine Rom: Pont. vel eorū ad quos iurè pertinent, expressa licentia sequestrant.

16. In usurpan-
tes sedis Aposto-
licæ, & quarum-
cūq; Ecclesia-
rum iurisdictiones,
uel fructus, aut eos se-
questrantes.

17. Quiuè collectas, decimas, taleas, præstantias, & alia onera Clericis, Prælati, & alijs personis Ecclesiasticis, ac eorum & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumq; fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi, absq; simili Rom: Pont. speciali, & expressa licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita etiam à spontè dantibus, & concedentibus recipiunt: nec non qui per se, vel alium, seu alios, directè, vel

17. In imponen-
tes decimas,
& onera perso-
nis Ecclesiasti-
cis, Ecclesiis,
Monasterijs, aut
eorum fructi-
bus.

ctè, vel indirectè, prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consiliũ, vel fauorem, aut votũ, seu suffragium palàm, vel occultè præstare non verentur, cuiuscunq; sint præminentia, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiam si Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, Respublicæ, & alij potentatus quicunq;, etiam Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, & terris quoquo modo præsidentes, aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti: Innouantes Decreta super his per sacros Canones tam in Lateranen. nouissimè celebrato, quàm alijs Concilijs generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

18. *Contra Iudices seculares in causis capitalibus, seu criminalibus, contra Ecclesiasticas personas se interponentes.*

18. Item excoꝻunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunq; Magistratus, Senatores, Præsidentes, Auditores, & alios Iudices quocunq; nomine vocentur, ac Cancellarios, Vicecancellarios, Notarios, scribas, & executores, ac subexecutores, & alios quoquo modo se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus cõtra personas Ecclesiasticas, illas banniendo, capiendo, processando, seu sententias cõtra illas proferendo, vel exequendo, etiam prætextu quorumcunq; priuilegiorum à Sede Apostolica ex quibusuis causis, ac sub quibuscunq; tenoribus, & formis, in genere & specie concessorum quibuscunq; Regibus, Ducibus, Principibus,

pibus, Rebuspublicis, Monarchis, Ciuitatibus, & alijs quibuscunq; potentatibus quocunq; nomine censeantur, quæ nolumus illis in aliquo suffragari, illa omnia ex nunc in irritum reuocando.

19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel alium, seu alios, directè vel indirectè, sub quocunq; titulo, vel colore de facto occupant, vel detinent, vel hostiliter destruunt, vel inuadunt, aut occupare, detinere, vel destruere, aut inuadere hostiliter præsumserint in totum vel in partem, Almam Urbem, Regnū Siciliæ, Insulas Sardinia, & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium B. Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaysinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Malsæ, Trebariæ, Romandiola, Campaniæ, & maritimas prouincias, illarumq; terras, & loca, ac terras specialis commissionis Arnulphorum, Ciuitatesq; nostras, Bononiam, Cesenam, Ariminum, Beneuentum, Perusium, Auinionem, Ciuitatem Castellum, Tudertum, & alias Ciuitates, Terras, & loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictaq; Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subiecta: quiuè supremam iurisdictionem in illis nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare varijs modis præsumunt:

Nec non

19. In occupantes loca, & terras Ecclesiæ Ro. & in illis supremam iurisdictionem usurpantes.

Nec non adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstantes.

20. *In raptore
res supellestili-
um, & scriptu-
rarum Camere
& Palatii Apo-
stolici.*

20. Nec non omnes, & singulos, supellestilium, librorum, scripturarum, & bonorum Camere, & Palatii Apostolici ex eodem Palatio, infirmitatis Romani Pont. ac Sedis Apostolicæ vacationis tempore, ablatores, raptores, & illorum detentores, ac quoscunq; alios, ad quorum manus bona prædicta quocunq; titulo, & ex quavis causa scilicet enter peruenerint.

21. *Quamdiu
præfens proces-
sus duret.*

21. Volentes præfentes nostros processus, ac omnia & quæcunq; his literis contenta, quousq; alij huiusmodi processus, à nobis, aut Rom: Pont. pro tempore existente fiant aut publicentur, durare, suosq; effectus omnino sortiri.

22. *Reserua-
tio absolutionis
Rom. Pontifici.*

22. Cæterum à prædictis sententijs nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolui possit, etiam prætextu quorumuis facultatum & indultorum, quibuscunq; personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumuis ordinum, etiam Mendicantium & Militiarum regularibus, etiam Episcopali vel alia maiori dignitate præditis, ipsiq; ordinibus & eorum Monasterijs, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegijs,

Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis pijs, nec non Laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per nos & dictam Sedem, ac cuiusuis Concilij decreta, verbo, literis, aut alia quacuncq; Scriptura in genere & in specie concessorum, & innouatorum, ac concedendorum & innouandorum.

23. Quòd si fortè aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorū alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, grauiùs contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire nouerimus, processuri.

23. Contra absoluentes in supra dictis casibus.

24. Declarantes, ac protestantes, quamcuncq; absolutionem etiam solenniter per nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius à præmissis, cum vero proposito vlteriùs similia non committendi, destiterint: Ac quo ad eos, qui contra libertatem, vt præmittitur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta huiusmodi publicè reuocauerint, & ex Archiuis, seu Capitularibus locis, aut libris in quibus annotata reperiuntur, deleri, & cassari, ac nos de reuocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non com-

24. Absolutio Rom: Pontificis etiam solennis, quos non comprehendat.

hendere, nec eis aliter suffragari. Quinetiam per huiusmodi absolutionem, aut quoscunq; alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel Successorum nostrorum, quantocunq; tempore continuata, in præmissis omnibus & singulis, ac quibuscunq; iuribus Sedis Apostolicæ, ac S. R. E. vndecunq; & quomocunq; quaeritis, vel quaerendis, nullatenus præiudicari posse, seu debere.

25. Quod non obstant Priuilegia, aut quæuis Apostolica indulta, quò minus quis in hoc processu includatur.

25. Non obstantibus Priuilegijs, indulgentijs, & literis Apost. generalibus, vel specialibus, supra dictis vel eorum alicui, seu aliquibus, & alijs cuiuscunq; ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiae fuerint, etiam si, vt præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quauis Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, seu locis, à prædicta Sede, ex quauis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quauis alia forma, & tenore, ac cum quibusuis clausulis etiam derogatorijs concessis, etiam continentibus quòd excommunicari, anathematizari, vel interdicti non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus proprijs, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem: Nec non consuetudinibus

dinibus etiam immemorabilibus, ac præscriptio-
nibus quantumcunq; longissimis, & alijs quibus-
libet obseruantijs scriptis, vel non scriptis, per
quæ contra hos nostros processus ac sententias,
quò minus includantur in eis, se iuuare valeant,
vel tueri: quæ omnia quoad hoc, eorum omnium
tenores, ac si ad verbum nihil penitus omisso
infererentur præsentibus pro expressis habentes,
penitus tollimus, & omninò reuocamus, cæterisq;
contrarijs quibuscunq;.

26. Vt verò præsentis nostri Processus ad
communem omnium noticiam faciliùs deducan-
tur, chartas, seu membranas processus ipsos con-
tinentes, valuis Ecclesiæ S. Ioannis Lateranen-
& Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe ap-
pendi faciemus, quæ processus ipsos quasi sonoro
præconio, & patulo indicio publicabunt, vt ij,
quos processus huiusmodi contingunt, quò ad
ipsos non peruenerint, aut quò ipsos ignorauer-
int, nullam possint excusationem prætere-
re, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile
id remanere incognitum, quod tam patenter
omnibus publicatur.

27. Insuper, vt Processus ipsi ac præsentis
literæ, ac omnia & singula in eis contenta eò fiant
notiora, quò is plerisq; Ciuitatibus & locis fue-
rint publicata, vniuersis & singulis Patriarchis,
e. ij Primati

26. Quòd ap-
pensio Proces-
sus in valuis
Ecclesiæ sancti
Ioannis Latera-
nensis, & Basi-
licæ Principis
Apostolorum,
ignorantiæ, aut
excusationi ali-
cuius locum non
relinquat.

27. Quòd Or-
dinarij locorum
quotannis præ-
sentem Proces-

sum in suis Ecclesijs frequenter in populo publicari curent.

Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & Locorum ordinarijs, Prælati & Rectoribus vbilibet constitutis per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, vt per se vel alium seu alios præsentem literas, postquam eas receperint, seu earum habuerint noticiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesijs suis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solenniter publicent, & ad Christifidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

28. Quod confessorij harum literarum transcriptum habeant.

28. Cæterum hortamur eosdem vniuersos, & singulos, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, aliosq; Locorum ordinarios, & Ecclesiarum Prælatos, nec non Rectores, cæterosq; curam animarum exercentes, ac Presbyteros seculares, & quorumuis ordinum regulares, ad audiendum confessiones quauis authoritate deputatos, vt transcriptum harum literarum penes se habere, legere, & diligenter examinare procurent.

29. Quod transcriptis subscriptis fides adhibeatur.

29. Volentes earundem præsentium Transcriptis, etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo Iudicis ordinarij Ro: Curia, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in iudicio, & extra illud vbiq; locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

30. Nulli

30. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ Excommunicationis, anathematizationis, interdicti, declarationis, protestationis, sublationis, reuocationis, commissionis, innotationis, mandati, hortationis & voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursum. Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum: Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo septimo, X. Cal: Aprilis. Pontificatus nostri anno sexto.

30. Ut ne quis
Literas uiolet,
sub pœnis &c.

Cæsar Glorierius.

M. Datarius.

A. de Alexijs.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

ANNO A NATIVITATE DOMINI, Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo octauo. *Publicatio Literarum.*

Indictione sexta. Die verò Iouis, vigesima septima mensis Martij. Pontificatus Sanctissimi in CHRISTO Patris & D. N. D. GREGORII Diuina prouidentia Papæ XIII. anno sexto, retrospectæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Ecclesiæ S. Ioannis Lateranè. & Basilicæ Principis Apost. de Vrbe, nec non Cancellariæ Apost. & in acie campi Floræ, per nos Marcum Antonium Brutum, & Petrum Guerram, Sanctissimi D. N. Papæ Curs.

Iulius Fontana Mag: Curs.

c iij

QVIBV

Decretum.

QVIBVS QVIDEM LITERIS DILIGENTER inspectis, illas ad requisitionem, & instantiam Magnifici D. Ioan: Felicis Saluatorij, S. D. N. Papæ, & Camera Apostolicæ Procuratoris Fiscalis, per Ouidium Erasmus nostrum & dictæ Curia Notarium publicum infra scriptum transfumi, & exemplari, ac in hanc publicam transumpti formam redigi mandauimus. Decernentes, & volentes, vt huic præfenti transumpto, iuxta earundem literarum, & decreti in eis appositi formam, continentiam & tenorem, de cætero plena, & indubia fides adhibeatur vbiq; locorum, ac si ipsæ Literæ originales exhibitæ, vel ostensæ forent. Quibus omnibus, & singulis, autoritatem nostram ordinariam, ac decretum interposuimus, & interponimus per præfentes. In quorum fidem præfentes literas, atq; præfens publicum transumpti instrumentum exinde fieri, & per impressores Camerales imprimi, ac per dictum Notarium nostrum, & Curia nostræ coram nobis scribam infra scriptum subscribi, & publicari mandauimus, nostriq; soliti sigilli impressione muniri iussimus, & fecimus. Datum Romæ, in ædibus nostræ solitæ residentia: sub anno à Natiuitate Domini 1578. Indictione sexta, Die verò vigesima septima mensis Martij. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini N. D. GREGORII Diuina pro uidentia Papæ XIII. anno sexto. Præsentibus ibidem D.D.

Data.

Testes.

Pompeio Antonino, & Antonio Guidotto, dictæ Curia nostræ Notarijs, & coram nobis scribis testibus, ad præmissa omnia & singula vocatis, & rogatis.

ROMAE, apud hæredes Antonij Bladij
Impressores Camerales.

CONSTI-

CONSTITUTIO
 FREDERICI II.
 IMPERATORIS:

Continens priuilegia & immunitates
 Clericorum, & pœnas vio-
 latorum eorundem.



FREDERICVS
 DEI GRATIA
 ROMANORVM
 IMPERATOR, semper
 Augustus: &c.

*Ducibus & Marchionibus & Comitibus,
 cunctisque populis, quos clementia nostra regit Imperium,
 Salutem & suam gratiam. In die qua de manu Sanctissimi
 Patris nostri Summi Pontificis recepimus Imperij diadema,
 curauimus ad DEI & Ecclesie sue honorem edere quasdam
 leges: quas in presenti pagina insimus annotari per totum
 nostrum Imperium publicandas, per Imperialia vobis scripta
 precipiendo mandamus, quatenus eas quisque literas in suo di-
 strictu irrefragabiliter & inconcussa seruetis, &c. Ad decus
 & decorum*

& decorum Imperij, & laudem Romani Principis, nihil omninò
 magis videtur accedere, quàm expurgatis quibusdam erro-
 ribus, & iniquis quorundam statutis penitus destitutis; de ca-
 tero DEI Ecclesia plena quiete vigeat, & lectura gaudeat
 libertate. Sanè adeò infidelium quorundam & iniustorum
 iniquitas abundauit, vt non dubitet contra Apostolicam disci-
 plinam, & sacros Canones, sua statuta confingere, & contra
 Ecclesiasticas personas, & Ecclesia libertatem. Cùm ergo
 dispositione Diuina volente vel faciente, nihil velit Ecclesia
 (quæ nihil præter bonum debet appetere) quod nobis eodem cursu
 voluntatum non placeat: Nos FREDERICVS Roma-
 norum Imperator semper Augustus, hac Edictali lege irri-
 tamus, & irrita nunciamus, omnia statuta & consuetudines,
 quæ Ciuitates vel loca, Potestates, Consules, vel quæcung, alia
 Persona, contra libertates Ecclesiæ ac personas Ecclesiasticas,
 edere vel seruare aduersus Canonicas vel Imperiales sanctiones
 præsumpserint. Et eadem Capitularia promulgamus infra
 duos menses post huius publicationem Edicti penitus aboleri.
 Et si de cætero similia attentauerint, ipso iure decernimus
 esse nulla: & eos sua iurisdictione priuatos, & locum vbi
 deinceps talia præsumpta fuerint, banno mille marcarum ar-
 genti præcipimus subiacerè. Potestates verò, Consules, ac
 omnes statuarij & scriptores dictorum statutorum, & consi-
 liarij ipsorum, loca, & qui secundum statuta vel consuetudines
 memoratas iudicauerint, sint ex tunc ipso iure infames:
 quorum sententias & actus alios illegitimos statuimus non te-
 nere aliquatenus. Qui si per annum huiusmodi nostræ Con-
 stitutionis inuenti fuerint contemptores, bona eorum per no-
 strum Imperium mandamus impunè ab omnibus occupari:
 saluis nihilominus alijs pœnis contra tales in generali Concilio
 promulgatis. ¶ Item, Nulli Potestates vel publicas vel pri-
 uatas collectas, siue exactiones, angarias vel perangarias,
 Ecclesiis,

Ecclesiis, vel alijs pijs locis, aut Ecclesiasticis personis imponere,
 aut inuadere Ecclesiastica bona presument: quod si fecerint,
 & requisiti ab Ecclesia vel Imperio emendare contempserint,
 triplum refundant; nihilominus banno Imperiali subiaceant,
 quod nullatenus absq; satisfactione remittatur. Item, quacung;
 Communitas, vel Persona, per annum in excommunicatione
 propter libertatem Ecclesie fractam steterit, ipso iure banno
 Imperiali subiaceat, à quo nullatenus extrahatur, nisi prius ab
 excommunicatore beneficio absolutionis obtento. Statuimus
 etiam, ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali causa, vel
 civili questione, trahere in iudicium seculare presumat, contra
 constitutiones & sanctiones Imperiales & Canonicas: Quod si
 fecerit actor, de suo iure cadat, iudicatum non teneat, &
 Index sit ex tunc iudicandi potestate priuatus. Statuimus, ut
 si quis Clericis vel Ecclesiasticis personis iusticiam denegare
 presumpserit, tertio requisitus suam Iurisdictionem amittat.
 Gazaros, Patarenos, Leonistas, Speronistas, Amaldistas, Cir-
 cumcisos, & omnes Hereticos viri usq; sexus, quocung; nomine
 censeantur, perpetua damnamus infamia: Definimusq; censen-
 tes alijs precipientes, ut bona talium confiscentur, nec ad eos
 reuertantur, ita quòd filij eorum ad eorum successionem perue-
 nire non possint; Cum longè grauius sit Diuinam, quàm tem-
 poralem offendere Maiestatem. Qui autem tales inuenti fue-
 rint sola suspitione notati, nisi ad mandatum Ecclesie, iuxta
 considerationem qualitatemq; persone, suspitionis propriam
 innocentiam, cognita purgatione monstrauerint, tanquam in-
 fames & banniti ab omnibus habeantur: ita quòd si per annum
 sic permanserint, ex tunc eos sicut Hereticos condemnamus.
 Statuimus etiam hoc Edicto in perpetuum valituro, ut Pote-
 states seu Consules, vel Rectores quibuscung; fungantur offi-
 cijs, pro defensione fidei prestent publicè iuramentum, quòd de
 terris sue Iurisdictioni subiectis vniuersos Hereticos ab Ecclesia
 f denotatos,

denotatos, bona fide pro viribus exterminare studeant: ita quod amodò quocumq; quis fuerit in Potestatem perpetuam vel temporalem assumptus, hoc Capitulum teneatur iuramento firmare: Alioquin neq; pro Potestatibus, neq; pro Consulibus habeantur, eorumq; sententias extunc irritas decernimus & inanes. Si verò Dominus temporalis requisitus & admonitus ab Ecclesia, suam terram purgare neglexerit ab Heretica prauitate, post annum à tempore monitionis elapsam terram illius exponimus Catholicis occupandam, quam etiam exterminatis Hereticis absq; vlla contradictione possideant, & in fidei puritate conseruent: Saluo iure Domini Principalis, dummodò super hoc nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat. Eadem nihilominus lege seruata contra eos, quam habent Principales creditores. Præterea receptores, defensoresq; Hereticorum bannimus, firmiter statuentes, vt si postquam quilibet talium ab Ecclesia fuerit qualibet excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum, extunc ipso iure sit factus infamis; nec ad publica officia, seu consilia, vel ad eligendum aliquos huiusmodi, nec ad testimonium admittatur, sitq; intestabilis: nec Testamenti liberam habeat factionem, nec ad hereditatis successionem accedat: nullus præterea ei super quocumq; negotio, sed ipse alijs respondere cogatur. Quod si forte Iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec cause aliqua ad eius audientiam deferantur: Si fuerit Aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur: Si tabellio, Instrumenta confecta per ipsum, nullius penitus sint momenti. Nauigia quocumq; locorum peruenerint, si quo casu contingente rupta fuerint, vel aliter ad terram peruenerint tam nauigia ipsa, quam nauigantium bona, illis integrè reseruentur, ad quos spectabunt, antequam nauigium huiusmodi periculum incurrisset, sublata penitus omnium locorum consuetudine, quæ huic aduersatur sanctioni, nisi talia

nisi talia sint nauigia, quæ Piraticam exerceant, aut sint nobis vel Christiano nomini inimica. Transgressores autem huius nostræ Constitutionis, bonorum suorum publicatione mulctentur. Et si res exegerit, eorum audacia iuxta nostrum mandatum modis alijs compscatur. Omnes peregrini & aduena liberè hospitentur, ubi voluerint, & hospitati si testari voluerint, de rebus suis ordinandis liberam habeant facultatem, quorum ordinatio inconcussa seruetur: Si verò intestati decesserint, ad hospitem nihil perueniat, sed bona eorum per manus Episcopi loci tradantur, si fieri potest, heredibus, vel in pias causas erogentur. Hospes verò si aliquid de bonis talium, contra hanc nostram Constitutionem, habuerit, triplum Episcopo restituat, quibus iussum fuerit assignandum, non obstante statuto aliquo, vel consuetudine, vel etiam priuilegijs, quæ hæcenus contrarium inducebant: Si qui autem contra præsumperint, eis de rebus suis testandi interdiciamus facultatem, vt in eo puniantur, in quo deliquerunt, aliter prout culpæ qualitas exegerit puniendi. Agricultores etiam circa rem rusticam occupati, dum villis insident, dum agros colunt, securi sint, quacumq; parte terrarum: ita vt nullus inueniatur tam audax, qui personas, vel boues, & agrorum instrumenta, vel si quid aliud sit, quod ad operam rusticalem pertineat, inuadere, capere, aut violenter auferre præsumat. Qui autem statutum huiusmodi ausu temerario violare præsumperit, in quadruplum restituat: & infamiam notam ipso Iure incurrat, Imperiali animaduersione nihilominus puniendus.

NOS verò **HONORIVS** Episcopus, Seruus seruorum Dei: has leges à **FREDERICO** Romanorum Imperatore, filio nostro charissimo, pro vtilitate omnium Christianorum editas, laudamus, approbamus, & confirmamus tanquam in æternum valituras. Et si quis ausu temerario, inimico generis humani suadente, quocumq; modo has infringere tentauerit, indignationem **DEI** omnipotentis, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum, se nouerit incursum.

CONSTITUTIO
 CAROLI III.
 IMPERATORIS:
 Quæ nominatur
 CAROLINA.



CAROLVS
 QVARTVS

Diuina fauente Cle-
 mentia ROMANORVM
 Imperator
 semper Augustus: & Bohemiæ Rex, &c.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Etsi Imperialis Benignitatis clementia quorumlibet deuotorum fidelium, quos Sacrum Romanum ambit Imperium, ex officij debito teneatur necessitatibus & iniustis oppressionibus consulere, & de opportunis remedijs prouideri. Ad illos tamen maximè dirigitur nostræ mentis affectio, quos indebitè pati cognoscimus, quorumq; oppressionibus status Ecclesiasticæ libertatis, quam semper nostris temporibus augeri volumus, in nihilum redigitur, & minus debite præ-

bitè prægrauatur. Sanè ad Imperialis Maiestatis audientiam, pro parte honorabilium, Præpositi, Decani, & aliorum Prælatorum, & Capituli Magdeburgensis, Maguntinensis, & Coloniensis Ecclesiarum, deuotorum nostrorum dilectorum, per insinuationem querulosam suppliciter est deductum, quòd Seculares quidam in potestatibus & officijs publicis constituti, videlicet, Duces, Comites & Barones, & alij Domini temporales; nec non Consules ciuitatum, oppidorum, villarum & locorum Rectores, dietarum Magdeburgen: Maguntinen: & Coloniën. prouinciarum, DEI nomine postposito, statuta singularia & iniquas ordinationes, motu proprio & de facto, contra personas Ecclesiasticas, Ecclesiarum libertates & priuilegia condiderunt, eisq; publicè & de facto insistere præsumpserunt, contra legitimas, ciuiles & Canonicas sanctiones, vituta, quòd nulla bona temporalia in potestatem Ecclesiasticam transferantur: Neue Clerici in sacris constituti, ad agendum & testificandum in ciuilibus, & maximè in pijs causis aliquatenus admittantur: Quodq; excommunicati Laici, & publicè denunciati, in ciuili foro minimè repellantur. Item: Præfati Domini temporales, Consules & Rectores, per secularem potestatem & bona Clericorum occupant & arrestant, oblationes fidelium diminuunt & restringunt, exactiones & tallias indebitè de bonis Ecclesiæ & redditibus exigunt & extorquent, possessiones Ecclesiæ & personarum earum deuastant incendijs & rapinis. Contractus inter Clericos & Laicos factos, legitimos ad libros ciuitatum, villarum & locorum recusant inscribere & sigillare. Donata & legata ad fabricas & Ecclesiarum stru-cturas, contra Prælatorum voluntatem & aliorum quorum interest, præsumunt usurpare, contra iusticiam: in fraudem & odium Clericorum, de rebus & bonis etiam Clericorum, quas non causa negociationis, sed pro vsibus proprijs per terras ducunt, seu duci faciunt, telonium exigunt, & recipere non

verentur. Et confugientes ad Ecclesias & Cemiteria inde extrahere contra sanctiones Imperiales presumunt. Quæq; omnia & qualibet ab inde secuta, cum per Sacras & Ciuiles & Canonicas sanctiones expresse reprobata sunt, & in fraudem Ecclesiastica libertatis de facto presumpta; de Principum, Ducum, Comitum, Baronum, fideliumq; nostrorum consilio, ex certa scientia, auctoritate Imperiali cassamus, irritamus & annullamus, cassaq; & irrita, & nullius esse momenti, penitus deducimus, & expresse pronunciamus. Precipientes sub indignatione Imperialis hanni, Vniuersis & singulis dictarum Magdeburgen: Maguntinen: & Colonien. prouinciarum, & locorum vicinorum, Principibus & Dominis temporalibus, Consulibus, & Potestatibus, & in officijs publicis constitutis, quatenus mox visis & intellectis presentibus, dicta ipsorum statuta & ordinationes, sicut in preiudicium Ecclesiastica libertatis edita sunt, omnino reuocent, & de luce tollant: quodq; secundum ea non iudicent amplius, nec sententias dicent, aut eisdem in iudicio, aut extra iudicium, quomodolibet per se & contra Ecclesiasticam libertatem potiantur. Item pronunciamus & declaramus Imperiali auctoritate, quod quicumq; Laicus cuiuscunq; status vel conditionis existit, ausu sacrilego, & propria temeritatis audacia, Sacerdotem vel Clericum secularem, vel Religiosum diffidauerit, vel captiuauerit, proscripserit, spoliauerit, occiderit, mutilauerit, aut in carcere detinuerit, aut huiusmodi maleficia perpetrantes scienter receptauerit, vel fauorem in his eis prestiterit, præter pœnas à sacris Imperialibus & Canonicis sanctionibus eis inflictas, sint ipso facto infames, & omni honore priuati, nec ad placita vel Concilia Nobilium admittendi quouis modo. Volumus etiam, hortamur & requirimus ipsos Prælatos Ecclesiasticos, ut hanc nostram legem & constitutionem in Synodis & Ecclesijs publicari procurent, & requisiti executionem pœnarum & sententiarum denuncient:

ne in præ-

ne in præmissis excedentes, per simulatam ignorantiam suas malitias valeant excusare. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc nostræ cassationis & immutationis seu pronuntiationis, denunciationis, & declarationis paginam ausu temerario infringere, aut quomodolibet ei contraire, sub pœna quinquaginta marcarum auri puri, quas ab eo qui contra fecerit, toties quoties factum fuerit, irremissibiliter exigi volumus, & earum medietatem nostræ Imperialis ararij, residuam verò partem iniuriam passorum vsibus decernimus applicari.

Signum Serenissimi Principis CAROLI Quarti, Romanorum Imperatoris inuictissimi, & gloriosissimi Bohemie Regis, &c. Testes huius &c. Data Tangermunda. Anno Domini: Millesimo trecentesimo septuagesimo septimo. Indictione quintadecima. V. Calend: Iulij. Regnorum nostrorum Anno tricesimo. Imperij verò vicesimo tertio. &c.

¶ Scias circa prædicta: quòd sicut CAROLVS IMPERATOR Bullam priuilegiorum Clericorum ad vnam Diocesim Imperij, sic etiam ad quamlibet aliam eiusdem Imperij destinauit. Ob id hæc Constitutio non est localis,

sed potius vniuersalis ad multas Diocesces

missa: Eodem modo dicas de

SIGISMVNDINA

infra.

SIGISMVN-

SIGISMVN
DINA.

SIGISMVN
DVS DIVINA
FAVENTE CLEMENTIA
ROMANORVM
IMPERator, semper
Augustus: Bohemiæ,
Dalmatiæ, Croatiæ Rex, &c.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

*Sublimitatis Imperialis gloriam innexit
Supernæ MAIESTATIS Veritas, nullos derelinquens
virtuosos suppeditatos: & animadvertenter exposcit, ut
Romani Imperij gubernaculum tenens, præter alia eximia
virtutum opera sua, cunctos præsertim seruitio DEI manci-
patos, ab vniuersis oppressionibus & offensis suis semper insi-
stat accurata diligentia clementer subleuare. Et ob id,
NOS, qui ad Romanum Imperium sumus Diuina dispositione
vocati, curis sollicitamur assiduis, ut præ cæteris tuitioni nostræ
commisissis, personarum Ecclesiasticarum status venerandus, in
varietate virtutum Clerus sublimatus, in suis libertatibus &
immunitatibus conseruetur & tueatur: & oppressionibus & à
temerariorum ausibus liberetur. Nunc nouarum Constitu-
tionum*

tionum editione, nunc antiquarum innouatione & extensione cum augmento pœnarum, ad gloriam & laudem DEI, solerter prouideri curemus. Sanè clara memoria FREDERICVS Secundus olim Romanus Imperator, Prædecessor noster, ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ laudem, & Sacri Imperij Romani decorem, cupiens, ut expurgatis quorundam erroribus, & iniquis statutis penitus destitutis de cætero, Ecclesiæ & Ecclesiastica persona plena vigerent quiete, & secura libertate gauderent; ac piè & iustè attendens, quòd quorundam peruersorum iniquitas adeò abundauerat, ut non dubitaret contra Ecclesiasticam disciplinam ac sacros Canones, sua consingere statuta, & aduersus Ecclesiasticas personas, & Ecclesiasticam libertatem; Ediçtali lege huiusmodi statuta iniqua irritauerat, & præceperat irrita nunciari. Et omnia statuta & consuetudines, quæ Ciuitates & loca, Potestates vel Consules, aut quæcumq; alia persona contra libertatem Ecclesiæ vel personas Ecclesiasticas, ac bona huiusmodi, edere aut seruare tentarent contra Canonicas & Imperiales sanctiones, de ipsorum Capitularibus infra duos menses post ipsius legis publicationem penitus abolere facerent: Et si de cætero talia attentarent, illa ipso iure decrenit esse nulla, & eos sua iurisdictione esse priuatos; Nec non locum ubi talia deinceps præsumpta fuissent, banno mille marcarum auri, fisco Imperiali præceperat subiacere. Potestates verò, Consules, Statuarij & Scriptores statutorum prædictorum, nec non Consiliarij locorum ipsorum, qui secundum statuta & consuetudines memorata iudicarent, ex tunc essent ipso iure infames, quorum sententias & actus legitimos statuerat aliqualiter non teneri: Quodq; si per annum præfatarum Constitutionum inuenti fuerint contemptores, bona eorum per totum Imperium mandauit impune ab omnibus occupari: Saluis nihilominus alijs pœnis, contra tales in sacris Concilijs generaliter promulgatis.

Et insuper voluit idem IMPERATOR, quòd nulla Communitas, vel persona publica vel priuata, collectas seu exactio- nes, angarias, vel perangarias, Ecclesis, vel alijs pijs locis, aut Ecclesiasticis personis huiusmodi imponere, seu inuadere Ecclesiastica bona præsumeret, quòd si secus faceret, & requi- situs ab Ecclesia vel Imperio, huiusmodi emendare contemne- ret, tripliciter refunderet, & nihilominus banno Imperiali sub- iaceret, quòd sine satisfactione debita nullatenus remitteretur. Statuit insuper, quòd quacung, Communitas, vel priuata per- sona, per annum in excommunicatione propter libertatem Ec- clesia violatam persisteret, ipso iure similiter banno Imperiali subiaceret, à quo nullatenus extraheretur, nisi prius ab Ecclesia beneficio absolutionis obtento. Et insuper ordinauerat, vt nullus Ecclesiasticam personam in criminali questione, vel ciuili, ad Iudicem secularem trahere præsumeret, contra easdem Canoni- cas sanctiones, & Imperiales constitutiones: quòd si secus fa- ceret, actor à suo iure caderet, iudicatum non teneret, & index foret ex tunc iudicandi potestate priuatus. Quodq, Iudices temporales, qui Clericis & personis Ecclesiasticis iusti- tiam denegare præsumerent, tertio requisiti suam iurisdictionem amittant. Et deinde ad diuæ memoriæ CAROLI Quarti, etiam Romanorum Imperatoris prædecessoris, & Ge- nitoris nostri, audientiam deducto, quòd Seculares quidam in potestatibus & officijs publicis constituti, videlicet Duces, Barones, & alij Domini temporales, nec non Consules ciuita- tum, oppidorum, villarum & locorum Rectores, DEI timore postposito, statuta singularia & iniquas ordinationes motu proprio, & de facto, contra personas Ecclesiasticas, Ecclesiarum & locorum religiosorum libertates & priuilegia condiderant, eisdemq, publicè & de facto præsumerent insistere, contra legi- timas, Canonicas, & Ciuiles sanctiones, vt puta, quòd nulla bona temporalia in potestatem Ecclesiasticam transferantur, neue Clerici

neuè Clerici in sacris constituti ad agendum, testificandum, in
 ciuilibus, & maximè pijs causis aliquatenus admittantur: Et
 quòd excommunicati Laici & publicè denunciati, in ciuili foro
 minimè repellantur. Præterea quòd dicti Domini temporales,
 Consules & Rectores, per secularè Potestatem res & bona Clerico-
 rum occupauerant, arrestauerant, Oblationes fidelium diminue-
 rant & restrinxerant: Exactiones & tallias indebitas de bonis
 & redditibus Ecclesiarum exegerant & extorserant: Possessiones
 Ecclesiarum, & personarum earundem deuastauerant incendijs
 & rapinis: Et contractus inter Clericos & Laicos factos legi-
 timè, ad libros ciuitatum, villarum & locorū recusauerant in-
 scribere atq; sigillare: ac donata & legata ad fabricas & Eccle-
 siarum structuras, contra uoluntatem Prælatorum, & aliorum
 quorum intererat, præsumpserunt usurpare contra iusticiam;
 in fraudem & odium Clericorum, & de bonis & rebus Cleri-
 corum, quas non causa negotiationis, sed pro usibus proprijs per
 terras ducebant, seu duci faciebant, telonium exigere & capere
 ueriti non fuerunt: Et confugientes ad Ecclesias & Cæmeteria,
 inde extrahere contra sanctiones Imperiales præsumpserunt.
 Idem Genitor prædecessor noster, hæc omnia & quæcunq; ex inde
 secuta, cum per sacras, ciuiles, & Canonicas sanctiones expressè
 reprobata essent, & in fraudem Ecclesiasticæ libertatis de facto
 præsumpta: de Principum, Ducum, Baronum, fideliumq; suo-
 rum consilio, ex certa scientia & authoritate Imperiali cassauit,
 irritauit, annullauit, cassaq; & irrita, & nullius esse momenti
 pronunciauit. Præcipiendo sub indignatione Imperialis banni,
 uniuersis & singulis Dominis temporalibus, Consulibus, Pote-
 statibus, & in officijs publicis constitutis, quatenus mox uisis,
 & intellectis præsentibus, cassatione, irritatione, & annullatione
 huiusmodi, dicta eorum statuta & ordinationes, sicut in præiudi-
 cium Ecclesiasticæ libertatis edita erant, omninò reuocarent, &
 de luce tollerent: quodq; secundum ea non iudicarent amplius,

nec sententias dictarent, aut eisdem in iudicio, aut extra iudicium, quomodolibet pro se, & contra Ecclesiasticam libertatem potirentur. Et insuper pronunciauit & declarauit Auctoritate predicta, quod quicumque Laicus cuiuscunque status vel conditionis foret, ausu sacrilego, vel propria temeritatis audacia, Sacerdotem, vel Clericum secularem, vel Religiosum diffidaret, proscriberet, vel captiuaret, vel spoliaret, occideret vel mutilaret, aut in carcere detineret, aut huiusmodi malitiam perpetrantes scienter receptarent, vel fauorem in his prestarent, præter pœnas à sacris Imperialibus & Canonicis sanctionibus eis inflictas, forent ipso facto infames, & omni honore priuati, nec ad placita Nobilium aliquatenus admittendi. Voluerat etiam & hortabatur, & requisuerat Episcopos & Prælatos, ut hanc suam legem & Constitutionem in Synodis & Ecclesiis publicarent; ne in præmissis excedentes per simulatam ignorantiam suas valeant exercere malitias. Adijciens, quod nulli homini liceret huiusmodi sue cassationis, irritationis, annullationis, pronunciationis, & declarationis paginam, quouis ausu temerario infringere, aut eis quomodolibet contraire, sub pœna quinquaginta marcarum auri puri, quas ab eo qui contra faceret, toties quoties contra faceret, irremissibiliter exigi voluit, pro medietate sui Imperialis ararij, siue Fiscij, pro reliqua verò parte iniuriam passorum vsibus applicari; prout in ipsis Prædecessoris & Genitoris nostri desuper confectis literis, eius IMPERIALI signo, & BVLLA aurea picereo sua Maiestatis, impressis, signatis, & munitis, quas presentibus hic habere volumus sufficienter pro expressis plenius continetur. Et quoniam per predicta Ecclesiastica libertati nondum satis prouisum esse videtur, ut igitur per infra scripta sit uberiùs & latius ipsi libertati prouisum, & ut Ecclesiastica persona plenè sua libertate gaudere, & pia loca à noxijs præseruari, & optatis proficere valeant incrementis:

NOS

NOS SIGISMUNDVS, qui statum
 Ecclesiasticum feruore fidei & clara deuotionis
 affectu veneramus libenter, vt tenemur, hac
 Edictali lege & Imperiali authoritate, Constitutiones siue
 leges antedictas, tanquam iustas, sanctas & legitimas, tenore
 presentium approbamus, pariter & innouamus: Ipsasq; scri-
 ptas nostras leges & prohibitionem, & presentes literas, &
 mandatum nostrum, ad omnes & singulas Ecclesias, & Mo-
 nasteria quacunq; cuiuscunq; nationis existant, & ad omnes
 & singulos Prelatos, Clericos & Presbyteros, & Ecclesiasticas
 personas, pro maiori eorum tuitione & cautela, ad tollendum
 in his quorundam curiosorum ambiguitates, dubium de singu-
 laris munificentia dono ex certa nostra scientia tenore presen-
 tium duximus extendendum, ac extendimus, & precipimus
 ubiq; locorum sub banno, & pœnis ante & infra scriptis, à quo-
 libet inuiolabiliter obseruari. Deinde statuimus hoc Edicto
 in perpetuum valituro; vt nullus Iudex secularis in Ecclesia-
 sticis causis, presertim matrimonij, legitimationis, vsurarum,
 testamentorum infra annum non executorum, & ad iudicium
 Ecclesiasticum legitime deuolutorum, ac decimarum, prædio-
 rum ac fructuum, reddituum & prouentuum Ecclesiasticorum,
 ac locationum & conductionum, seu conductorum eorundem,
 possit seu valeat iudicare, aut quomodolibet de huiusmodi
 causis, aut earum articulis cognoscere, nisi quatenus ab Eccle-
 sticis Iudicibus fuerit requisitus: Quòd si contrarium fe-
 cerit, iudicatum non teneat; & Iudex ex tunc iudicandi po-
 testate sit priuatus, & subiaceat nihilominus pœnis infra scri-
 ptis; Actorq; à suo iure cadat ipso facto. Insuper omnibus
 & singulis Principibus, Ducibus, Baronibus, Comitibus, Ciui-
 tatibus, Consulibus, Rectoribus, ac in officijs temporalibus,
 dominijs, & potestatibus constitutis, sub indignatione Impe-
 rialis banni, & quadraginta marcarum auri mulcta: Ad cuius
 g ij solutionem

solutionem & praestationem, pro vna nostro siue Imperiali arario, aut Fisco, & alia medietatibus personis iniuriam passis, faciendam, quemlibet huius nostrae prohibitionis transgressorem ipso facto teneri volumus. Demum praesenti & irrenocabili, sancimus, declaramus, decernimus & pronunciamus Edicto, districtius prohibentes, ne quisquam ex eis Praelatos, Presbyteros, Clericos, & personas Ecclesiasticas, quò minus vina, grana, res & bona, de suis redditibus Ecclesiasticis prouenientia, liberè, & sine solutione telony seu gabella, vendere, seu abducere facere possint. Et quò minus res, bona, vina, cereuisias, carnes, grana, panes, & pannos, & alia quacungq; eorum vsui & recreationi conuenientia, siue intranea, siue intranea, seu externa, vel externa fuerint, pro eorum vsibus seu recreatione, sibi, & per quacuis loca, ciuitates, terras, castra, & aquas, vectigio vel nauigio, absq; quauis prohibitione, liberè, & absq; solutione cuiuscungq; telony, datia, vel gabella, adduci & portari facere valeant. Et etiam quò minus res & bona mobilia, & immobilia, per Praelatorum seu Ecclesiasticarum personarum obitus relicta, ad manus illorum, ad quos de iure spectant, liberè & sine quibuscungq; impedimentis, inuasionibus, intrusionibus, exactionibus, & occupationibus, praesertim per Laicos quantumcungq; attentatis perueniant, siue valeant pacificè peruenire. Et quò minus coloni & subditi Ecclesiasticarum personarum, sine violentis hospitalitatibus, etiam venationum occasione, ac vectigalibus, seruitijs, & exactionibus, quas ipsi exactores petitiones vocant, & a petitionibus huiusmodi absq; damno, liberè & in pace dimittantur. Et etiam quò minus damna hospitalitatum & vectigalium extortorum, seruitiorum & exactionum, & petitionum huiusmodi occasione, colonis, & subditis ipsis illata, plenariè resarciantur. Nec non etiam quò minus Praelati, seu Indices Ecclesiastici, eorum spiritali iurisdictioni subiectos, pro suorum excessuum demeritis capi, & incarcerari, & captos

& captos duci, & per quouis loca & ciuitates liberè adduci,
 & aliàs debita correctione puniri facere valeant, quocungq; aut
 qualitercungq; publicè, aut occultè, directè, vel indirectè, per
 se, vel per alios, impedire, aut facere impediri, præsumant vel
 permittant; nec talia committentes receptent, aut eis in præ-
 missis, vel circa ea, impendant auxilium, consilium, vel fauo-
 rem. Quinimò magis volumus & mandamus sub hanno &
 pœna proximè supradiçta, vt Principes, Duces, Comites, Ba-
 rones, Comitatus, Consules, Rectores, ac in officijs, dominijs,
 & potestatibus prædictis constituti quicungq;, ab impedimentis
 & vsucapionibus rerum & bonorum relictorum huiusmodi, &
 à prædictis violentis hospitalitatibus, vectigalibus, seruitijs,
 exactionibus, & petitionibus huiusmodi colonorum & subdito-
 rum Ecclesiasticarum personarum, & ab impedimentis & per-
 turbationibus Ecclesiasticæ iurisdictionis omninò desistant; nec
 captos, nec adductos rebelles repetere, vel repeti facere præ-
 sumant. Nec non requisiti totis viribus personas Ecclesiasticas
 in præmissis, ac iurisdictionem huiusmodi Ecclesiasticam exer-
 centes adiuuent, & diligenter sine omni dilatione, adhibeant &
 apponant auxilium brachij secularis, vt libertas Ecclesiastica
 manu teneatur: & vt subditi rebelles, criminosi, & delin-
 quentes modis præfatis, aut aliàs prout eisdem iurisdictionem
 Ecclesiasticam exercentibus, coniunctim vel diuisim, expedire
 videbitur, digna animaduersione configantur. Caterum vt
 didicimus, nonnulli peruersis eorum conatibus leges & consti-
 tutiones antediçtas, Prælatos, Presbyteros, Clericos, & perso-
 nas Ecclesiasticas diuersis iniurijs afficientes, pro eo, quòd tam
 per Constitutiones & leges, quàm sanctiones huiusmodi insti-
 ctarum pœnarum executio absq; animaduersione negligitur,
 infringere non verentur:

Item igitur

¶ *Vt igitur tam Genitoris, quàm FREDERICI Se-*
cundi, Prædecessorum nostrorum præfatorum, ac nostri, Con-
stitutiones & leges præsentibus literis mandatum nostrum de-
bita executionis fienda suffragio sortiantur effectum, & inso-
lentia compescantur transgressorum: Omnes & singulos no-
stros, & sacri Romani Imperij, Principes spirituales & secu-
lares, ac Comites, Barones, Milites, Militares, Proconsulesq̃,
& Consules, ac Consulatus, Potestates, Rectores ciuitatum, op-
pidorum & locorum quorumcunq̃, pro executione huiusmodi
quæstionum & legum Imperialium, & præsentium nostrarum
literarum facienda, executores eorundem coniunctim & diuisim
tenore præsentium deputamus, & nihilominus ipsis sub Impe-
rialis banni indignatione, & sub antedicta, quo ad illos qui
feudum vel priuilegia aliqua non habent: quo ad illos verò
qui talia habent, sub perditionis suorum feudorum & priuile-
giorum quorumcunq̃, pæna, quas eos, si requisiti infra unius
mensis spacium, requisitionem huiusmodi immediatè sequens,
& ad infra scriptam executionem non processerint, & non fe-
cerint quod mandamus, incurrere volumus ipso factò, districtè
præcipiendo per hæc Imperialia scripta. Mandantes quatenus
ipsi, & eorum singuli, quoscunq̃, & quemcunq̃, dum & quoties
præsentibus executores ipsos requiri contigerit, Prælati &
Presbyteris, Clericis, & personis Ecclesiasticis quibuscunq̃,
coniunctim & diuisim, efficacis præsidij auxilio assistentes, non
permittant eisdem, aut eorum alicui, à quoquam, cuiuscunq̃
gradus, status vel conditionis fuerint, contra vel circa præ-
missa omnia, aut aliquod ipsorum, quomodolibet iniuriam ir-
rogari; sed magis iniuriantes huiusmodi, nisi post requisitionem
executorum eorundem, infra certum terminum peremptoriè
competentem, eis per executores ipsos desuper præfigendum,
contra præmissa, commissa aut neglecta emendando resipiscant,
pænas antedictas prout quemlibet pro commisso aut neglecto
contingit

contingit incidisse, declarent, sic per captionem & detentionem personalem, distractionem, inuasionem, aut alienationem rerum & bonorum suorum, mobilium & immobilium quorumcumque, sine mora ad satisfactionem & obseruantiam plenariam, promissarum omnium & singulorum executores ipsi, suo seculari brachio cogant & compellant, ac compelli faciant, ac pecunias occasione pœnarum præfatarum arario siue fisco Imperiali debitas & debendas, Imperiali auctoritate emoneant, & partem ipsorum ad fiscum Imperialem pertinentem, ad fiscum ipsum fideliter studeant destinare: reliquam verò partem earundem partibus laeis realiter assignare procurent. Super quibus eisdem executoribus, & eorum cuilibet in solidum, Imperiali auctoritate nostra prædicta, plenam licentiam & potestatem liberam concedimus per presentes: Volentes & decernentes, ut eisdem executoribus omnibus & singulis, presentibus & futuris, vigore presentium, quo ad præmissa, perpetua potestas & licentia remaneat attributa; Constitutionibus & legibus Imperialibus, ac Priuilegijs & indultis quorumcumque, & alijs in contrarium forsã facientibus, non obstantibus quibuscumque. Ne autem in præmissis excedentes, per simulatam ignorantiam suas valeant excusare malitias: hortamur & requirimus vniuersos & singulos Archiepiscopos, Episcopos, & Prælatos, ut Constitutiones & leges Imperiales antedictas, & presentes nostras literas, singulis annis in Synodis & Ecclesijs suis publicare procurent, si nostram indignationem voluerint euitare. Nulli ergo hominum liceat hanc legum & constitutionum præfatarum, & presentium literarum nostrarum, ac inhibitionum præcepti & mandati nostrorum paginam quouis ausu contrario infringere, aut eis quomodolibet contraire, sub pœna quadraginta marcarum auri puri, quas ab eo qui contra fecerit, toties quoties contra factum fuerit, præter supradictas & alias pœnas, à sacris Canonibus & Imperialibus sanctionibus etiam eis inflictas,

h irremissi-

irremissibiliter volumus exigere, ut praefertur: Nec non sub indignatione DEI Omnipotentis, & timore ultionis suae aeternae.

Data, &c.

EXECUTORIUM
 BONIFACII PA-
 PAE: FREDERICI IMPE-
 RATORIS, CAROLINAE,
 ET SIGISMUNDINAE,
 Constitutionum.

BONIFACIUS
 EPISCOPUS SERVUS
 SERVORUM DEI, &c.

*Venerabilibus fratribus, Minden: &
 Verden: Episcopis, & dilecto filio Decano Ecclesiae Min-
 densis: Salutem & Apostolicam benedictionem. Iustis &
 honestis supplicum votis libenter annuimus, illaq; favoribus
 prosequimur oportunis. Dudum siquidem felicitis recordationis
 HONORIVS Papa tertius, praedecessor noster, attentè con-
 siderans, quòd clara memoria FREDERICVS Secundus
 Imperator semper Augustus, ad laudem Romanae Ecclesiae &
 sacri decus*

sacri decus Imperij, cupiens vt expurgatis quorundam erroribus, & iniquis statutis penitus destitutis, de cetero, Ecclesia & Ecclesiastica persona plena vigerent quiete, & secunda libertate gauderent: pie ac iuste attendens, quod quorundam peruersorum iniquitas adeo abundauerat, vt non dubitarent contra Ecclesiasticam disciplinam, & sacros Canones, statuta confingere; nec non aduersus Ecclesiasticas personas, & Ecclesiasticam libertatem, &c. Edictali lege huiusmodi statuta iniqua irritauerat, & praeceperat irrita nunciari. Et omnia statuta & consuetudines, quae Ciuitates & loca, Potestates vel Consules, aut quacumque alia persona, contra libertatem Ecclesiasticam, vel personas Ecclesiasticas, edere vel seruare tentarent, contra Canonicas ac Imperiales sanctiones, de ipsorum Capitularibus infra duos menses post ipsius legis publicationem penitus aboleri facerent. Et si de cetero talia attentarent, ipso iure decreuit esse nulla, & eos sua Iurisdictione priuatos: nec non locum, vbi talia deinceps praesumpta fuissent, banno mille marcarum auri praeceperat subiaceri. Potestates vero, Consules, Statuarij & Scriptorum statutorum praedictorum, nec non consiliarij locorum ipsorum, qui secundum statuta & consuetudines memorata iudicarent, ex tunc essent ipso iure infames, quorum sententias & actus illegitimos statuerat aliquatenus non teneri: Quodque si per annum praefata Constitutionis fuissent inuenti contemptores, bona eorum per totum suum Imperium mandauit impune ab omnibus occupari: saluis nihilominus alijs poenis contra tales in generali Concilio promulgatis. Et insuper voluerat idem Imperator, quod nulla Communitas, vel persona publica vel priuata, collectas seu exactiones, angarias, vel per angarias, Ecclesiis, vel alijs pijs locis, aut Ecclesiasticis personis imponeret, aut inuadere bona Ecclesiastica praesumeret: quod si secus faceret, & requisitus ab Ecclesia vel Imperio, emendare con-

temneret, triplū refunderet, & nihilominus banno Imperiali subiaceret, à quo sine satisfactione debita nullatenus remitteretur. Statuerat insuper, quòd quæcumq; Communitas, vel persona, in excommunicatione propter libertatem Ecclesia violatam persisteret, ipso iure banno Imperiali subiaceret, ex quo nullatenus extraheretur, nisi prius ab Ecclesia beneficio absolutionis obtento. Et insuper ordinauerat, quòd nullus Ecclesiasticam personam in criminali quaestione, vel ciuili, ad iudicium seculare trahere præsumeret, contra easdem Canonicas sanctiones & constitutiones Imperiales: quòd si secus faceret, actor à iure suo caderet, & iudicatum non teneret; Et iudex fortè extunc indicandi autoritate priuatus. Idemq; iudices temporales, qui Clericis, vel personis Ecclesiasticis, iusticiam denegare præsumerent, tertio requisiti suam iurisdictionem amitterent, prout in dicta Imperiali constitutione plenius continetur.

Dictusq; Prædecessor noster Constitutionem ipsam, de consilio etiam Fratrum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, qui tunc erant, Apostolica autoritate approbando confirmauit, & ipsam mandauit inuiolabiliter obseruari: nec non Statuarios & scriptores, ac violatores prædictos excommunicatos autoritate Apostolica prædicta publicè nunciari. Et deinde ad audientiam Diuæ memoriæ CAROLI Quarti, etiam Romani Imperatoris semper Augusti deducto, quòd nonnulli Seculares, in potestatibus & officijs publicis constituti, videlicet, Duces, Comites, Barones, & alij Domini temporales, nec non Consules ciuitatum, oppidorum, villarum & locorum Rectores, in nonnullis prouincijs constituti, DEI timore postposito, statuta secularia, & iniquas ordinationes, motu proprio & de facto, contra personas Ecclesiasticas, Ecclesiarum libertates, & earum Priuilegia, condiderant, eisq; de facto & publicè resistere præsumerent, contra legitimas sanctiones, utputa; quòd nulla bona temporalia in potestatem Ecclesiasticam transferren-

transferrentur: Et ne Clerici in sacris constituti ad agendum & testificandum in ciuilibus, & maximè pijs causis aliquatenus admitterentur: Quodq; excommunicati Laici & publicè denunciati, ciuili foro minimè repellerentur. Et insuper cùm predicti Domini temporales, Consules & Rectores, per secularem potestatem res & bona Clericorum occuparent, & arresterent: & oblationes Christifidelium diminuerent atq; restringerent: Exactiones & tallias indebitas de bonis & redditibus Ecclesiarum exigerent & extorquerent. Possessiones Ecclesiarum, & personarum earundem, deuastarent incendijs & rapinis. Contractus inter Clericos & Laicos factos legitimos, ad libros ciuitatum, oppidorum, villarum, & locorum predictorum, inscribere & sigillare recusarent: Donataq; & legata ad fabricas & Ecclesiarum structuras, contra Prælatorum voluntatem, & aliorum quorum intererat, contra iusticiam sibi usurpare præsumerent: & in fraudem & odium Clericorum, de bonis etiam & rebus Clericorum, quæ non causa negotiationis, sed pro eorum proprijs vsibus, per eorum terras ducebant, seu duci faciebant, telonea exigere & recipere non verebantur. Et confugiens ad Ecclesias, & Cæmeteria earum, inde extrahere, contra Canonicas & Imperiales sanctiones præsumerent.

Idem CAROLVS Imperator, tanquam Christianissimus Princeps, volens in præmissis prouidere de remedio salutari, etiam de Principum, Ducum, Comitum, Baronum, fideliumq; aliorum Sacri Imperij consilio, & authoritate Imperiali, quæcunq; statuta & consuetudines, omnia prædicta, tanquam per Canonicas & ciuiles sanctiones expressè reprobata, cassauit, irritauit, & annihilauit, ac cassa & irrita, nulliusq; roboris esse voluit penitus & momenti: Præcipiens sub Imperialis banni pæna, vniuersis & singulis, Principibus, & Dominis temporalibus, Consulibus, Potestatibus, & alijs in officijs publicis in eodem Imperio constitutis, quatenus extunc ipsorum statuta &

h ij ordina-

ordinationes, sicut in præiudicium Ecclesiastica libertatis edita fuerant, omninò reuocarent, & de luce tollerent; quodq; secundum ea non iudicaret amplius, nec sententias dictarent: Nec eisdem in iudicio, aut extra iudicium, quomodolibet pro se, & contra Ecclesiasticam libertatem potirentur. Pronunciauit insuper eadem Imperiali decreuit authoritate, quòd quicumq; Laicus, cuiuscunq; status aut conditionis existeret, ausu sacrilego, & propria temeritatis audacia, Sacerdotem vel Clericum secularem, aut religiosum diffidaret, proscriberet, captiuaret, spoliaret, occideret, mutilaret, aut in carcere teneret, ac huiusmodi maleficia perpetrantes scienter receptaret, vel fauorem eis præstaret, præter pœnas à sacris Canonibus, & legalibus sanctionibus in tales inflictas, eo ipso redderetur infamis, & omni honore priuatus, nec ad placita vel consilia Nobilium admitteretur quouis modo. Hortans in Domino, insuper & requirens Prælatos in illis partibus constitutos, ut legem Imperialem huiusmodi per eorum Ecclesias & Synodos publicarent, ne transgressores huiusmodi per simulatam ignorantiam suas valerent malicias in hac parte excusare, prout Edictali lege prædicta Imperiali plenius continetur. Cùm autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum, sanctorum Blasij intra, & Cyriaci extra muros, Ecclesiarum, Decanorum & Canonicorum, & personarum Ecclesiasticarum, ac totius Cleri Brunsvicens: Hildensem: Halberstatis: diœcesum, petitio continebat; quòd adeò quorundam Laicorum & Dominorum temporalium huiusmodi Ciuitatum & Diœcesum prædictarum, & in locis circumvicinis malicia inoleuit, quòd huiusmodi Imperiales constitutiones & sanctiones transgredi non verentur, & Ecclesiasticas libertates violare præsumunt, pro parte eorundem Dominorum, Decanorum, Canonicorum, & personarum prædictarum, fuit nobis supplicatum: ut eis super præmissis de oportuno remedio providere de benignitate

Apostolica

Apostolica dignaremur. NOS igitur vestigijs prefati HONORII Papa, predecessoris nostri, inherentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestra per Apostolica scripta mandamus; quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel per alium, vel alios, Constitutiones predictas in prefatis Ciuitatibus & Diocesibus, & in alijs locis circumvicinis, ubi & quando expedierit, Authoritate nostra faciatis inuiolabiliter obseruari: transgressores seu violatores & contemptores, ac sacrilegos predictos, nec non contradictores quoslibet & rebelles, per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, inuocato ad haec, si opus fuerit, auxilio brachij secularis, non obstante constitutione, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo hominum, &c. Data Romae: VI. Calend. Iunij. Pontificatus nostri anno secundo.

SOLI GLORIA DEO.

JMPRESSUM


ANNO DOMINI:


M. D. LXXXV.

BIBLIOTECA VITI



JAGELLONICAE









Consid
Uratu

S

34.